

ЭЛЕКТРИЧЕСКАЯ СКОРОПЕЧАТНЯ Я. РАШКОВА,
— В. О. 1 л. № 12. СПБ. —

Methodus exegesis.

Prooemium.

Studium Scripturae sacrae Veteris Testamenti ultimis decenniis magnos progressus fecit. Ad quem felicem successum multa contulerunt et quidem primo loco scientifica exploratio Orientis. Palaestina enim sita erat in magna via inter potentissima regna antiquitatis, scilicet, Assyro-Babiloniam et Aegyptum; Israelitae cum illis populis sive amicitia iuncti erant, sive saepius in rebus adversis iugum ferebant ac influxum eorum subibant. In fatis gentium nonnunquam res gestae Israelitarum enarratae comprehenduntur et tali pacto obscura quaedam V. T. explanantur.

Investigatio scientifica Orientis prius in Mesopotamia, quam in Palaestina inchoata est. Per effossiones ruinarum antiquae Ninivae aliarumque urbium regni Assyriaci, inde ab anno 1842 a Franco-Gallis (Paulo Botta, Place) inceptas

deinde ab anno 1845 ab Anglis (Henr. Layard, postea Henr. Rawlinson, Wilh. Loftus, Horm. Rassam) factas successive regia palatia cum monumentis, praecipue bibliotheca Asurbanipalis in lucem prodierunt; a Georgio Smith 1874 a., ab H. Rassam 1878 et ab aliis deinceps inventae sunt in palatiis regum Assyriae plusquam viginti millia tabellarum fictilium cum inscriptionibus, quae annales regum et praecipuos eventus palam fecerunt.

Porro explorationes institutae sunt in antiqua Chaldaea nempe ab Anglis 1849-1855 a. circa antiquam capitalem urbem Babylonem (Loftus, Layard, Oppert) et Ur Chaldaeorum (Taylor); interruptae excavationes per viginti annos, cum maiore successu renovatae sunt a Franco-Gallis 1877-1900 (Sarzec), 1903 (Cros) circa ruinas antiquae urbis Lagaš (IV-III millennium a. Ch. n.); insuper in Chaldaea effossiones factae sunt a Germanis 1887, praecipue ab a. 1889 (duce Koldewey) circa Babylonem; tandem ab Americanis, ab universitate Pensilvaniensi ab a. 1889 (ducibus Peters, postea Hilprecht), cum plusquam quinquaginta millia tabellarum in ruinis

urbis Nippur effoderunt. Quae excavationes tam antiquam historiam Chaldaeae, tum initia populi electi et contactum recentiorem miro modo illustraverunt.

Praeterea effossiones factae sunt in vicinia Chaldaeae, nimirum in urbe Susa, capitali Aelamitici regni, quae a. 1898 duce Morgan obeliscum Manistusu, regis Kis (IV millenium), stelam Naram-sin, filii Sargonis I (circa 2800 a.), a. 1901-1902 celeberrimum codicem regis Hammurabi, coaevi Abrahae attulerunt.

Praeter Assyro-Babiloniam explorata est partim Aegyptus, quae in fata Palaestinae saepe influxum exercuerat et cuius antiqua historia, congrua cum descriptionibus biblicis, nota evenit. V. g. mentione dignae sunt Litterae Amarnenses seu plus quam trecentae tabellae fictiles[1] scriptura cuneiformi, lingua assyro-cananaea exaratae, quae ex fine saeculi XV[i] ante Christum natum proveniunt et ex archivio pharaonis Amenophis IV[i] et a rustica femina, agrum

1 secundum Knudtzon: Vorderasiatische Bibliothek 1910 numerus eorum attingit 358.

colentes in el-Amarna ducentis sexaginta kilometris versus meridiem ab urbe Kairo distante, 1887 a casu inventae sunt; litteras principum Syriae, Phoeniciae, Canaan[1] sub dominatione Aegypti tunc temporis existentium, et regum Babyloniae cum vicinis ad pharaones Amenophim III et Amenophim IV directas complectitur; quae statum politicum regionis Canaan, inter plures regulos saeculo XV° ante adventum Israelitarum divisae (cf. Jos. 12, 24), luculenter illustrant.

Ex recentissimis effossionibus insignes sunt, quae in extrema meridionali parte Aegypti prope urbem Assuan (antiquam Syene), in insula Elephantina super Nilo, factae sunt. Quo loco Otto Rubensohn a. 1907. a museo Berlinensi delegatus, tria aramaica documenta ex a. 408-407 ante Christum natum originem ducentia, cum Palaestina sub imperio Persarum fuisset, insuper multa ostraca effodit; quae relate ad propheticos, recentiores historicos libros V. T., etiam ad obscuram periodum historiae Hebraeorum ab activitate Nehemiae usque ad Alexandrum Magnum illustrandam magni sunt momenti[2].

1) Epistola principis Jerusalaim nomine Abdchiba adest.
2) Haec exempla ex Aegypto sufficiant.

In Palaestina effossiones factae sunt post alias regiones Orientis, scilicet hic nova era incipit ab a. 1890; investigatio scientifica Terrae Sanctae triplicem seriem locorum comprehendit: primo, promontoria vallis Šefela usque ad Geser (Palestine Exploration Fund) influxu aegyptiaco, pugnis cum Cananaeis ac Philistaeis nota; secundo, vallem Ǐesreel cum arcibus Taannak (duce Sellin 1902-1903) et Megiddo (praeeunte Schumacher 1903-1905) in magna via ex Mesopotamia in Aegyptum positis; tertio, montana Judeae et Samariae cum Hierosolymis, Jericho, (duce Sellin 1907-1909), Samaria (hod. Sebastyeh) (dirigente prof. Lyon a mense aprili 1908 a.), in historia Hebraeorum celebribus locis.

Fructus effossionum israeliticarum in Palaestina factarum, comparati cum assyro-babilonicis ac aegyptiacis, non sunt tam splendidi; nam magnifica templa Aegypti, exquisita monumenta sculpturae Assyro-Babiloniae, munitae arces Canaani deficiunt, quod reapse congruit cum Litteris Sacris, quae tenuem culturam Hebraeorum saepenodo inimicam relationem

religionis ad artes ob periculum polytheismi pingunt, munus tamen religionum populi electi extollunt. Apud vicinos praetiosa monumenta effossa sunt, sed crassus polytheismus non obstante sublimi cultura ubique deprehenditur; apud Hebraeos autem ordine inverso quamquam seminomades erant, purae tamen ac subtiles notiones religionae apparent, ergo independenter a tenui cultura eorum, per consequens absque evolutione religionis.

Itaque excavationes Palaestinenses praeter fontem ad obscuram historiam regionis Canaan praestitum, praeter historicam auctoritatem singularum locorum biblicorum v.g. Jericho, confirmatam, grave argumentum dederunt ad supernaturalem indolem religionis Hebraeorum, prout Scriptura Sacra narrat, probandam.

In genere exploratus hucusque Oriens nulla obscura Litterarum Sacrarum in contextu historico constituit, nonnullos textus parallelos V. T. in lucem protulit, breviter copiosum lumen ad interpretandum V. Testamentum attulit.

Secundo loco, ad progressum circa Scripturam Sacram studium linguarum semiticarum stimulum dedit, videlicet, ex ra documenta et inscriptiones assyro-babilonicae, aramaicae, syriacae etc. perlegendae erant, quapropter illae linguae accurate ediscendae erant; quod simul ad progressum V. Testamenti sub alio respectu contulit, scilicet ad textum originalem cum praecipuis versionibus conferendum et ad obscuras expressiones hebraicas intelligendas illae linguae subsidium tulerunt; cum enim in V. Testamento non totus thesaurus linguae hebraicae contineatur et inde multae voces in textu originali difficiles ad intelligendum inveniuntur, interpretes lingua babilonico-assyriaca ex parte aethiopica utentes, quae saepe similes radices eadem significatione ac in lingua hebraica continent, nonnunquam explicationem obscuri textus obtinent; porro linguae ~~heb~~ arabicae peritus hebraicam grammaticam facilius intelligit; deinde ad aramaicas partes V. T. et aramaismos in hebraice conscriptis libris necessaria est scientia linguae aramaicae; denique, syriaca et partim coptica ab exegetis in critica textuali cum emolumento

adhibentur. Equidem studium linguarum semiticarum in theologicis facultatibus introducta est post concilium Viennense (1311), postquam papa Clemens V cathedras linguarum orientalium in universitatibus Romae, Parisiis, Oxonii, Bononiae (Bologna), Salmanticae erexit. Quae constitutio, quamquam adiumentum in missionibus inter Judaeos et Muhammedanos spectavit, simul tamen Scriptura sacra inde fructum cepit, nam periti linguarum semiticarum praeter Vulgatam textum ~~vulgarem~~ originalem aliasque versiones consulere poterant, insuper ex Talmude aliisque iudaicis scriptis catholicam interpretationem illustrare volebant.

Ex illo tempore theologicae facultates saepe solae studio semiticarum linguarum operam dabant ac professores V. T. linguam hebraicam, arabicam, syriacam, aramaicam docebant.

Quae itaque studia ad Scripturam sacram explicandam utilia, recenter valde evoluta ~~sunt~~ atque ad facultates philosophicas universitatum extensa sunt.

Tertio, progressum in studiis sacrarum

11. Causae progressus in studiis biblicis

Litterarum effecit historia, religiones comparans.

Post theoriam Graf-Wellhausen de documentis in Pentateucho, de recenti origine eius aliorumque Librorum V. T., post auctoritatem historicam V. T. impugnatam, acatholici religionem Israelitarum naturali evolutione explicare conati sunt; animismum, fetišismum, totemismum fuisse primas formas religionis antiquorum Hebraeorum, ex quibus polytheismus, deinde monotheismus ortus sit, asseruerunt; secundum evolutionistas V. T., uti simpliciter pars orientalis litteraturae, vestigia inferiorum graduum religionis continet. Quapropter interpretes ad supernaturalem indolem religionis Hebraeorum defendendam religioni Babiloniorum, Aegyptiorum, Arabum pereffossa documenta accurate operam dederunt.

Quae cum ita sint, illustrata per excavationes historia Orientis, studium semiticarum linguarum, scientia religiones comparans, ad interpretationem Scripturae sacrae applicata, ex altera parte diversus et valde intentus labor ultimis decenniis effecerunt, ut multa nova problemata in exegesi V. T. orta sint ac ipsa methodus exegesis in novum tramitem

inerit

Olim interpretes sensum obvium e textu sacro simpliciter eruere ac proponere intendebant, obiectivam autem veritatem enarratorum in Libro Sacro parum respiciebant; quia nemo in libro inspirato ea in dubium vocabat. Sed hodie conditionibus mutatis, cum critici independenter auctoritatem Litterarum sacrarum labefactandi conentur, ex altera parte, cum scientifica exploratio Orientis nova argumenta adferat, catholicus interpres Ecclesiam, custodem et authenticum interpretem Scripturae sacrae, magni aestimans, etiam nova media scientifica adhibere debet, quia Libri sacri humano sermone sunt exarati, videlicet, textu reconstructo, compositione Libri explanata, quae sensum eruendum adiuvant, insuper obiectiva veritas dictorum vindicanda est, i. e. exegesis criticam textualem, litterariam, historicam comprehendit.

Iam viginti annos ante Summus Pontifex Leo XIII in encyclica „Providentissimus Deus" monuit ut studiosi in interpretatione Scripturae Sacrae praeter authenticam Vulgatam textum originalem aliasque versiones consulerent: „Neque ... non sua habenda erit ratio reliquarum versionum

Causae progressus in studiis bibliicis quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum"1) Porro Pontifex ~~Maximus~~, in eadem encyclica ad auctoritatem Litterarum sacrarum scientifice tuendam duplex praesidium proposuit: Est primum in studio linguarum veterum orientalium simulque in arte quam vocant criticam. Utriusque rei scientia quum hodie in magno sit pretio et laude, ea clerus plus minusve pro locis et hominibus exquisita ornatus, melius poterit decus et munus sustinere suum"2)

Ad scientificam itaque exegesim textus primigenius cum praecipuis versionibus adhibenda sunt et ars critica eorum rite instituenda est. Quaestio solvenda est, quomodo labor exegeticus dividendus sit seu in quo critica textualis, historica, litteraria consistant.

1. Critica textualis.

Commentarius incipit critica textuali, cuius munus consistit in integritate textus

1) Camerlynck. Compendium Introductionis generalis Brugis 1911, p. 13.
2) Ibidem pp. 19-20.

conservati examinanda atque lectione primigenia vel saltem probabili ex argumentis externis et internis reconstruenda.

Inspiratio enim immutationes amanuensium et glossatorum non excludit; cum autem textus s. per manus multorum amanuensium transiisset, antequam a masoretis stabilitus est, inde pure non est conservatus, quod lectiones variantes in manuscriptis manifestant. „Codicibus emendandis, ait s. Augustinus, primitus debet invigilare sollertia eorum, qui Scripturas divinas nosse desiderant."[1] De codicibus mendosis[2], de somnolentis amanuensibus[3], de temerariis correctionibus[4] et similia Patres Ecclesiae loquuntur.

Textus Librorum V. T. qui ad nos pervenit, sequentes classes mendorum exhibet[5]:

1° Primo, illa originem ducunt ex manca

1) De doctr. christ. II, 14 (Μ. 34-46.)
2) Epist. 82 ad Hieron.
3) Orig. In Matth. tom. 15, 14.
4) S. Hier. Ad Damasum praef. in Evang.
5) Zapletal. Ueber einige Aufgaben der katholischen alttestamentlichen Exegese. Freiburg (Schweiz) 1910, pp. 15-2.

scripturas, postea quam eius permutatio literarum (hebraicarum) cumnunquam locum habebat.

Triplex scriptura hebraica prae oculis habenda est: antiqua, media, quadrata. Formam antiquae exhibet v. g. inscriptio moabitici regis Mesae ex s. IX°, inscriptio aquaeductus Siloe ex s. VIII° ante Christum; ea antiquissimi Libri sacri exarati erant. Praeter inscriptiones in lapide sculptas, temporis successu mollior materia, scil. membrana et papyrus cum magis rotundo typo characterum adhibebatur. Inde a tempore Persarum, ex quo lingua aramaica in Palaestina introduci coepta est, simul cum lingua introducta est etiam scriptura aramaica, formam magis rotundam et cursivam exhibens, probabiliter cum samaritana identica. Tempore denique Christi tertius typus seu quadrata scriptura communiter in usu fuit, quae probabiliter post exilium paulatim introducebatur. Variae lectiones versionis Alexandrinae, antiquitate et diffusione prae aliis insignis, dependent partim ab antiquo et medio typo scripturae hebraicae partim a quadrato.

Immo ser plerique Libri s. s. V. T. forma quadrata transcripti sunt, in quo labore permutatio characterum facile irrepere poterat. Ope Septuaginta

sequentes confusiones literarum in typo antiquo et medio deprehenduntur: א et ר, ו et ת, ת et ם, ל et ע, ה et י, נ et ת, ר et כ, פ et ר; in typo quadrato praecipuae sunt: י et ו, ב et ם, ד et ר, ה-ח et מ. Quae permutationes locum habebant, si literae primigenii textus obscure scriptae aut deletae erant. Quae animadversiones criticae textualis hodie communiter ab exegetis agnoscuntur.

b) Praeterea ob mancam Scripturam hebraicam mendosae divisiones vocabulorum irrepserunt. In inscriptionibus Mešae et Siloe voces ope puncti separantur; sed plerique codices hebraici continua scriptura exarati erant. Propter mendosam divisionem in legendo sensus propositionum mutabatur.

c) Antiquum alphabetum hebraicum solummodo consonanntes complectebatur; carentia vocalium voces varie legendi occasionem dabat; incertae et raro adhibitae matres lectionis in accurata lectione parum iuvabant.

2°. Secunda classis mendorum inde provenit, quod ad celeriorem transcriptionem unus textum praelegebat, alii vero scribebant; quapropter orti sunt errores ex auditu, qui in confusione eodem

modo sonantium literarum consistebant.

3. Tertia classis mendorum ex oscitantia amanuensium originem ducit.

a) Huc spectat dittographia, scilicet, consonans, vocabulum, tota propositio bis scripta et postea animadversa relinquebantur, ne manuscriptum corruptum pretium perderet.

b) Omissiones ab amanuensibus factae et quidem saepius ob homoioteleuton, nempe cum scriba in eandem vel similem vocem serius occurrentem aberravit, quapropter vocem aut totam propositionem omisit.

c) Transpositio consonantium, si amanuensis cito, absque attentione ad sensum, textum legebat.

d) Memoriter scribens voces aut phrases omittebat vel secundum textus parallelos immutabat.

4. Quarta classis mendorum in textu sacro de industria factorum occurrit, videlicet, loco vocabulorum obscurorum nota et certa ponebantur, pro duris expressionibus mitiores substituebantur.

5. Denique quinta classis mendorum originem ducit partim ex oscitantia, partim de industria.

Huc spectant: a) glossae ex margine a posteriore amanuensi in textum introductae.

b) casu omissae voces et deinde in margine adnotatae, a recentiore amanuensi in textum ipsum non loco suo introductae.

c) abbreviationes a posterioribus scribis false perlectae.
d) falsa correctio iam corrupti textus ad sensum obtinendum.

Ex hisce patet haud pauca menda Litteris Sacris irrepsisse, qui non parum impediunt, quominus multis in locis genuinum scriptoris sacri textum atque adeo verba ipsius Spiritus sancti cognoscamus. In V. T., in quo textus maiores difficultates, quam in N. T. praestat, reconstructio textus notabilem locum, sed nullo modo unicum occupat, quapropter reprobanda est illa licentia, qua hodie non pauci interpretes acatholici integrum textum sacrum emendare, sed reapse magis corrumpere audent; hos Libros enim, tamquam divinitus inspiratos et sacros e manibus Ecclesiae recipimus, quae infallibili magisterio suo de substantiali integritate eorum certos nos reddit. Igitur textus, circa quos primigenii codices et antiquae versiones consentiunt, nullo modo corrigendi sunt.

Ex lectionibus autem variis, primo, eae, quae interna veritate aut verisimilitudine carent, ab exegetis a priori reiiciuntur. Ad quas dignoscendas sequentia inserviunt:[1]

1. Primo, auctor sacer nihil scripsit absurdi vel quod certis veritatibus sive rationis, sive revelationis lumine cognitis, contradicit. Quare lectio, quae aut nullum

1) H. Cornely, Historica et critica introductio. Paris 1894, pp. 519-520

prorsus sensum, aut certo erroneum exhibet, aut contradictionem in Scripturam Sacram inducit, est reiicienda.

2. Secundo, auctores sacri regulas logicae observabant; omnis igitur lectio, quae contextui aperte contradicit, reiici potest.

3. Tertio, scriptores sacri regulas grammaticas (etymologiae ac syntaxis) et rhetoricas (uti parallelismum membrorum, systema metricum in poesi etc.) in genere non violabant; quare lectio, quae cum illis regulis pugnat, plerumque reiicienda est: e.g. si totus psalmus eodem metro conscriptus est, sed unus vel alter versus intra psalmum illi non congruit; attamen nos hebraicae linguae relative pauca documenta possidemus; graeca lingua versionis Alexandrinae et N. Testamenti atque latina Italae ac Vulgatae non ex grammaticis classicis est diudicanda; igitur hic caute procedendum est.

4. Quarto, auctores sacri stylum suum, dictionem, loquendi modos suos habent, nec inspiratio hanc diversitatem in scriptoribus sacris abstulit aut minuit; unde lectio, quae cum consueto scriptoris stylo pugnat, praeiudicium inducit; sed rarissimis in locis ob incertitudinem suam argumentum solidum praebet, nam quae unus cum stylo alicuius scriptoris pugnare asserit, ab altero eius dictioni prorsus consona et conformia declarantur.

5. Quinto, difficilior lectio textus interdum faciliori praefertur, nam amanuenses magis perspicuam, faciliorem lectionem aliquoties substituerunt pro ea, quam omnino vel non satis intellexerunt; sed haec regula raro adhibeatur, fieri enim potuit, ut vocabula quaedam textus genuini, casu corrupta, a diligenti librario facile ac recte correcta vel suppleta sint.

Reiectis eiusmodi lectionibus, quae ob intrinsecas rationes genuinae esse non possunt, inter reliquas quaenam a manu auctoris certe aut saltem probabiliter provenerit, eligatur oportet. Factum historicum testimoniis historicis stabiliendum est. Itaque testes lectionum variarum crisi subiiciendi sunt.

A. Primo loco codices primigenii examinandi sunt. Ad tempus[1] et fontem manuscripti attendatur oportet. Haud raro multi codices ex uno descripti sunt, ut ex singularibus lectionibus, quas omnes exhibent deprehenditur; quo in casu omnes unum tantum testem repraesentant. In varias igitur familias codices dispertiendi sunt atque familiae potius, quam singula familiarum membra ad testimonium admittantur oportet. Sed codices hebraici, quos superstites habemus, unam solam familiam constituunt, quia omnes secundum eadem principia masoretica

1) Cf. Cornely. Op. c. p. 522-523.

sunt correcti ita, ut ex primis fontibus suis paucas tantum lectiones conservaverint, quae emendatorum attentionem effugerant. Masoretarum enim aetate integrum Iudaeorum studium, quod textum hebraicum spectat, in eo positum erat, ut traditus conservaretur; quare omnes codices suos ad leges Masorae conformandos studuerunt, inde probabiliter ratio quaerenda est, cur non habeamus codices hebraeos ita antiquos, ut graecos, quia scilicet Iudaeorum magistri post masoretarum criticam et punctationem ab omnibus receptam, omnes codices his non conformes damnaverunt, tanquam non orthodoxos; unde post pauca saecula reliqui codices, prius descripti evanuerunt. Reapse codices hebraicos, antiquiores decimo saeculo post Christum natum deficiunt, dum graeci versionum ad quintum, immo quartum saeculum post Christum ascendunt. Vetustissimus censetur codex babylonicus, Petropoli in Caesarea Publica Bibliotheca asservatus. Hic codex prophetarum: Isaiae, Ieremiae, Ezechielis et duodecim minorum inventus est a. 1839 in synagoga Čufut kalensi (in Crimaea) a caraita Abr. S. Firkovicz, deinde societati historicae et archaeologicae Odessae praesentatus postea a. 1862 a Petropolitana Publica Bibliotheca acquisitus est; 254 folia continet, quodvis binas columnas exhibet, quarum singulae 21 versus. Scriptura codicis est solida; consonantes quaedam forma singulari exaratae

sunt. v. g. ו, ', ה; maior singularitas deprehenditur in systemate punctationis, comparato cum Tiberiadensi Masoretarum: sex enim tantum signa vocalium exhibet. Margines parvam masoram comprehendunt, minoribus characteribus scriptam. Amanuensis adnotavit annum et mensem, scilicet 1228 erae Seleucidarum, i. e. 916 a. nostrae. Lectiones variae huius codicis notabiles immutationes in receptum hebraicum textum non introducunt; in locis quibusdam congruentia cum Alexandrina et Vulgata versionibus contra receptum textum masoreticum animadvertitur

Pariter in eadem Petropolitana bibliotheca integer V. T. codex hebraicus, a. 1009 conscriptus, asservatur.

Masoretica igitur lectio, quamquam magno codicum numero comprehenditur (fere 800 Parmae in bibliotheca de Rossi), minori quidem, quam graeca manuscripta, unum tamen solum testem pro se habet, nimirum auctoritatem Masoretarum. Ceteris paribus, ut s. Augustinus[1] monuit, emendati codices non emendatis, antiquiores iunioribus auctoritate praevalent.[2] In poeticis libris aut locis insuper systema metricum interpretem ad genuinum hebraicum textum stabiliendum multum adiuvat.

1) cf. De doctr. chr. II, XIV: M. 34, 46

2) Pro praxi Biblia hebraica, critice edita v. g. a R. Kittel, cum lectionibus variis (Leipzig, II ed.) ad exegesim adhiberi potest.

B. Secundo loco ad reconstructionem genuini textus V. T. lectio masoretica hebraica comparatur cum versionibus et primo illis, quae immediate e textu primigenio factae sunt.

In V. T. magnam habent auctoritatem graeca versio Alexandrina cum fragmentis versionum Aquilae, Symmachi, Theodotionis, latina Vulgata, syriaca Pešito, utpote multo antiquiores superstitibus codicibus hebraicis; in Pentateucho interpretando etiam ad versionem Samaritanam attendendum est, minoris vero momenti sunt paraphrases, quia nimia cum libertate textum sacrum adhibent.

Graecae versionis exemplaria[1] saltem tres familias exhibent, nempe: 1. Textum receptum, qui tamen non maiore momento gaudet, quam textus aliorum codicum. 2. Familiam Alexandrinam Orientalem, per B et ℵ repraesentatam. 3. Occidentalem, sed hoc nomine improprie vocatam, nam codices graecos complectitur, quae quoque versiones syriacas includit.

Inter omnia manuscripta[2] Alexandrinae graecae versionis eminent quattuor classici, saeculo quarto et quinto post Christum natum conscripta, quae solae olim omnes V. et N. Testamenti libros atque praeterea opuscula quaedam Patrum apostolicorum continebant:

1) Dividuntur in duas magnas classes: a) uncialia, maiusculis litteris scripta b) minuscula

2) Cf. Cornely. Introductio 1, 319 et Vigouroux. Dict. de la Bible (ad sing. de 4 mss.

1. Vaticanus (B) primum locum obtinet; hodie Romae in Vaticana bibliotheca conservatur; a criticis saeculo quarto post Christum attribuitur; in membrana tenuissima pulchre scriptus est; paginae in tres columnas divisae sunt; nullae litterae maiores ne in initiis quidem librorum habentur, sed quae librorum quorundam exordiis praefiguntur, eae, prima scriptura deleta, a iuniore manu additae sunt. Nulla quoque interpunctionis vel accentuum signa prima manus addidit; interdum tamen spatium vacuum finem alicuius narrationis vel phrasis indicat.

Olim totum V. et N. Testamentum complectebatur, sed integer ad nos non pervenit, initio enim et fine caret ac folia quaedam in medio perierunt ita, ut ex V. T. hodie deficiant Gen. I, 1-46, 27; Ps. 105, 27-137, 6; uterque liber Machabaeorum.

2. Sinaiticus (ℵ) antiquitate et qualitate proximus est Vaticano. Anno 1859 a Tischendorf in monasterio s. Catharinae in paeninsula Sinaitica inventus est; hodie in Petropolitana publica bibliotheca asservatur. Ex fine quarti vel ex initio quinti saeculi provenit. Singulae paginae quatuor columnas continent. Litteris maioribus initialibus et signis interpunctionis ac accentuum ipse quoque caret. In V. T. est truncatus ita, ut fere omnes libri historici desiderentur: Pentateuchus, Iosue, Ruth,

Sam., Reg., Ezdr., Neh., Esth., pars Chron.; ex propheticis: Os., Dan.

Splendidissimam primam editionem eius, quatuor voluminibus in folio constantem, Tischendorf 1862 a. sumptibus imperatoris russici Alexandri II curavit.

3. **Alexandrinus** (A) a Constantinopolitano patriarcha Cyrillo Lucari a. 1628 ex aerario Alexandrini patriarchae Carolo I, Angliae regi, dono missus est et hodie in bibliotheca „British Museum" Londini asservatur. Saeculo quinto post Christum et quidem probabiliter in Aegypto scriptus est. Pagina binas columnas habet; magnae initiales in margine initium sectionis indicant. Accentibus, interpunctionis et aspirationis signis pariter caret. Textus eius Vaticano et Sinaitico multo inferior censetur. Utrumque Testamentum fere integrum continet; sed in V. T. fragmenta quaedam Gen., Sam., Ps. deficiunt. E contra psalmis hymnos N. T. addit et praeter 1 et 2um Mach. etiam 3um et 4um comprehendit.

4. **Codex Ephraemi rescriptus** Palimpsestus[1], hodie Parisiis in Nationali bibliotheca asservatur. Membrana secunda vice ad opera s. Ephraemi graece conscribenda s. XIII° adhibita est. Qua cursiva scriptura chemice

1) Membrana magno pretio erat, ideoque eadem aliquoties ad scribendum usurpabatur, praeviis litteris sublatis. Nomen est originis graecae: πάλιν, iterum et ψάω, radendo detergo, abs-, complano.

deleta, codex uncialis ex s. V° p. Christum a Tischendorf perlectus est. Litterae sunt maiores, quam in praecedentibus manuscriptis; accentibus caret; proxime ad Alexandrinum accedit et in Aegypto probabiliter exaratus est. Utpote palimpsestus nullius libri integrum textum exhibet, folia enim codicis tanquam materia inordinate ad iteratam scriptionem adhibebantur. Ex V. T. complectitur: Iob, Prov., Eccle., Cant., Sap., Eccli. secundum versionem Alexandrinam. Editus est praecipue a Tischendorf, Leipzig 1843-1845.

Hi quattuor soli libros ss. utriusque Testamenti exhibent; alii [1] vero Novum vel tantum Evangelia continent.

Attentionem meretur item recensio Alexandrinae versionis **Luciana**, e III s. post Christum originem ducens, quam sacerdos Antiochenus Lucianus, fundator scholae Antiochenae, ope textus hebraici et versionum Aquilae, Symmachi, Theodotionis fecit. Septuaginta Luciani a textu recepto κοινὴ ἔκδοσις notabiliter differt.

Post graecas versiones in textu s. reconstituendo consulenda sunt exemplaria latinae versionis **Vulgatae**, quae magna auctoritate gaudet, nam concilium Tridentinum ex latinis editionibus Scripturae Sacrae eam authenticam statuit. [2]

1) De aliis graecis mss. cf. Swete. The Old Testament in Greek, according to the Septuagint, vol. I Cambridge, 7s 6d; H. von Soden. Die Schriften des neuen Testaments in ihrer ältesten erreichbaren Textgestalt hergestellt auf Grund ihrer Geschichte. Berlin. 60 mk.

2) Hucusque in genere triplex typus editionis Vulgatae in usu erat: Vercellone (1869), Fillon (1887), Hetzenauer (1906).

Iussu S. Pontificis Pii X labores circa recognoscendam ac corrigendam Vulgatam incoepti sunt. Qua in re Em. Card. Rampolla praeses Commissionis Pontificiae de Re Biblica, 1907 a. 30 April. ad R^mum D. Hildebrandum de Hemptinne, Abbatem Primatem Ordinis S. B. epistolam dedit. In qua, memorato fine Commissionis Biblicae, indicato momento explorandi varias lectiones Vulgatae ad eam recognoscendam, quod Romani Pontifices fovent, laudat operosam plurium doctorum, praecipue P. Vercellone, sollicitudinem; Cardinales Commissionis de Re Biblica, probante Summo Pontifice, ordini religioso Benedictino, illud negotium offerendum indicarunt. Itaque R^mus Abbas-Primas ad opus nomine Ordinis suscipiendum invitatur.

Sub fine eiusdem anni 1907, 11 dec. ipse Summus Pontifex Pius X de nova editione Vulgatae R. D. Gasquet, Abbati, Congregationis Anglo-Benedictinae Praesidi, epistolam dedit; in qua operis ordini Benedictino commissi difficultatem et amplitudinem exponit. Quare Benedictinos praefectis tabulariorum et bibliothecarum commendat; deinde ut in opere bene perficiendo lente festinent, monet; denique pecuniarum subsidium exoptat et benedictionem Apostolicam impertit (cf. Camerlynck. Op. c. pp. 96-100)

Itaque Patres Benedictini susceptum laborem strenue incoeperunt atque collationem codicum latinorum faciunt.

Anno elapso (1911) in lucem prodiit: „De revidenda Vulgata relatio secunda" (32 Rom Loescher M. 2); singularia studia in novo organo: „Collectanea biblica latina" mox imprimentur.

Praeter versiones graecam et latinam ad criticam textualem inspicienda est syriaca versio Pešito (fidelis), utpote antiquissima, originem ex s. II post Christum ducens.[1]

Ut vero ex versionibus de lectione aliqua diudicemus, nobis constare debet de versionis genuina lectione; ipsae enim, prout et textus primigenius, purae et integrae ad nos non pervenerunt.

C. Tertio, ad integritatem textus sacri examinandam, praeter textum hebraicum et praecipuas versiones, allegationes textus in operibus ss. Patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum inspiciendae sunt. Equidem antiqui-ssimi Patres saepe e memoria potius, quam e codice textum laudant; nonnunquam tamen deprehendere possumus, qua familia usi sint. Magni momenti ad criticam textualem sunt allegationes apud antiquos Patres inventae, quia codices plerumque antiquiores, quam nostri superstites adhibuerunt. Origines et s. Hieronymus, qui optime linguam hebraicam callebant, directum testimonium adferunt; graeci Patres sunt testes immediati versionis Alexandrinae et latini nos

1) v. g. Biblia sacra iuxta versionem simplicem, quae dicitur Pešita. Mausili 1887.

docent antiquas lectiones latinae versionis.

Lectionibus variis textus sacri examinatis, in genuino stabiliendo interpretes sequentia praecepta tradunt:[1]

1. Lectio, quae omnium primigeniorum codicum, versionum, Patrum auctoritate munitur, pro vera et genuina admitti debet. Quod cum in longe maiori utriusque Testamenti parte obtineat, de substantiali Scripturarum integritate dubitandi nullus est locus.

2. Illa quoque lectio, quae fere omnium hebraicorum codicum, praesertim si antiquissimi sunt, aeque ac plerorumque antiquiorum Patrum et versionum testimonio fulcitur, pro genuina admittenda est, etsi forte iuniores aliqui codices et Patres aut una alterave versio dissentiant.

3. Textus hodierni hebraici lectio, etsi omnium codicum masoreticorum testimonio nitatur, reiicienda est, si contra eam pugnant unanimia Alexandrinae, Syriacae, Vulgatae testimonia, immo si etiam Chaldaeus dissentit et in Pentateucho-Samaritanus. Illa vero lectio, quam unanimi testimonio suo hae editiones utpote antiquiores tuentur, tuto recipi potest, etsi in paucissimis tantum hebraicis codicibus inveniatur. Codicibus enim dissentientibus, versiones praeprimis definiunt, quae lectio praeferenda sit; quin etiam tum recipienda esse videtur, si nullo in codice masoretico invenitur.

---

1) Cornely. Ibidem p. 524.

4. Inter duas varias lectiones, quae ex textu masoretico, versionibus, Patribus aequalia fere testimonia habent, ea seligatur, quae, orationis contextui magis consona, aptiorem gignit sensum aut, si ex contextu definiri nihil potest, quae magis cum stylo ac dictione scriptoris consentit.

5. Quod si neque ex externis illis testimoniis, neque ex contextu et dictione certi quidquam erui possit, videndum est, ex quanam lectione reliquarum origo facilius explicetur, eaque probabilior censenda, quae maiore cum probabilitate mater reliquarum esse creditur.

6. Denique omnis emendatio ex auctoritate communium fontium criticae sacrae fiat, non autem ex solà coniectura, nisi textus sit aperte mendosus et gravis ratio cogat. In casibus insolubilibus textum illo in statu potius relinquamus, in quo conservatus est, donec forte novis documentis antiquis huusque ignotis res definiatur. Correctionem interdum textus paralleli suadent; nonnunquam ipsi masoretae corruptionem signo paseq adnotaverunt; in partibus poeticis, systema metricum criticam textualem adiuvat, quae tamen sola non absolute certum argumentum constituunt, quapropter caute adhibenda sunt.

Illud semper prae oculis habeat, quicunque Scripturarum Sacrarum lectiones varias diudicat, de re maximi momenti agi, genuina enim Spiritus Sancti verba cognoscere eaque ab humanis discernere vult; quamobrem magna cum prudentia magnam textus sacri venerationem necesse est iungat.

Ex dictis de critica textuali concludimus: textus sacer in singulis menda amanuensium comprehendit, quae substantiam Litterarum Sacrarum haud afficiunt, interpres ope moderatae criticae textualis ea corrigens, maiorem claritatem, praestantiam, sublimitatem Libris sacris restituit.

2. Critica litteraria.

Interpres per criticam textualem solidum fundamentum ad sensum e textu sacro eruendum praeparat. Porro critica litteraria[1] in processum compositionis Libri sacri inquirit, scilicet, authentia Libri stabilita, genus litterarium, si dubium est, determinat, tum elementa constitutiva Libri sacri examinat; quae omnia verum sensum Litterarum sacrarum proponendum multum adiuvant. Videamus in specie:

a) Auctor Libri sacri fuit filius temporis sui, et opus coaevis scribebat, quapropter in Libro sacro recte interpretando magni momenti est, si interpres auctorem aut saltem tempus compositionis seu authentiam Libri stabilire potest. Spiritus sanctus enim scriptori non dictabat, sed ipse auctor secundum propriam indolem, a Deo motus Librum exarabat.

1) Cf. A. D'Alès. Dict. apolog.: Critique biblique, col. 790-802; Zapletal. op. l., pp. 24-32

Unde recte dicitur de modo scribendi Isaiae, Ieremiae, aliorumque.

Antiqui interpretes minus quam nos solliciti erant de authentia,[1] ad argumentum potius attendebant. Ipsi Patres in originem humanam Libri inspirati inquirebant solummodo, in quantum ad canonem stabiliendum opus erat.

Hodie conditionibus mutatis, cum veritas Litterarum sacrarum saepemodo impugnetur, authentia Pentateuchi, Librorum historicorum, propheticorum est magni momenti.

Sane, factum, quod testis oculatus vel auctor ipsius eventus narrat, certitudine maiore gaudet, quam quod posterior historicus exponit, v. g. in Pentateucho si eventus Librorum Exodi et Numerorum a coaevo auctore enarrati sunt, auctoritas eorum est certa. Critici vario modo eos interpretari, at nullo modo negare possunt; proinde in indolem inquirere possunt, v. g. decem plagarum Aegypti, transitus Maris Rubri, theophaniarum in deserto, sed ea simpliciter negare non possunt.

---

1) v. g. Theodoretus de auctore Psalmorum sequentia dicit: „Psalmos .... non omnes ipsius Davidis quidam esse dixerunt, sed quosdam aliorum. Unde et inscriptiones sic interpretati, alios Idithumo ascripserunt, alios Aethamo, nonnullos filiis Core ... Ego autem de his sane nihil affirmo. Quid enim mea refert, sive huius omnes, sive illorum aliqui sint, cum constet divini Spiritus afflatu universos esse conscriptos." Migne P. G. 80, 862.

— Professor A. P. Grigaitis

Libros historicos quod attinet, authentia eorum ~~est~~ multum valet, auctoritas enim historiae Hebraeorum eâ nititur.

Idem de Libris propheticis dicendum est: prophetia est nulla post eventum; quinimo vis probandi diminuitur vel etiam tollitur, si propheta breve tantum tempus praecessit eventum praedictum, ne coniectura pure humana evaderet.

Minus tamen interest originem humanam notam habere Psalmorum et Librorum didacticorum, qui doctrinam solum exhibent, cuius auctoritas ab inspiratione et minus a scriptore humano dependet. *

Cum antiqui interpretes, prout supra diximus, minus quam nos solliciti essent de humana origine Litterarum sacrarum, proinde auctores multorum Librorum sacrorum ignoti sunt et hodie excepta in tempus tantum conscripti libri inquirere valet.

Hic una difficultas in authentia stabilienda mentione digna est, scilicet, nonnunquam Libri sacri auctorem suum nominare primo obtutu videntur; attamen eiusmodi denominatio potius principalem personam aut argumentum Libri indicat; ita v.g. Liber Josue, Job vocatur ob principem personam de qua agitur; Liber

---

(* v.g. Theodoretus de auctore psalmorum sequentia scripsit: „Psalmos unumquemque)

Judicum appellatur, fata enim eorum complectitur et sic de aliis.

Denique animadvertendum est ultimis ante Christum saeculis apud Judaeos in usu fuisse formam litterariam, secundum quam scriptor Libri susciperet nomen celebris viri, qui quondam vixisset, v. g. liber Henoch, ascensio Moysis, psalmi Salomonis etc. Huiusmodi forma libris quoque canonicis irrepsit, quod dicitur in libro Sapientiae et Ecclesiastes de Salomone, quique tamen origine non sunt antiquiores secundo saeculo ante Christum. Quo usu litterario non supposito, prius interpretes hos libros Salomoni auctori attribuebant.

b) Authentia stabilita exegeta genus litterarium Libri, si dubium oritur, definiat oportet.

Alio enim modo interpretes singula in documento stricte historico, aliter in opere pure didactico explicat. Genus litterarium difficultatem solvit, utrum omnes circumstantiae tamquam reales considerandae sint, prout est in historia proprie dicta, an in textu singula quasi transeunda et dumtaxat idea moralis ac religiosa quaerenda sit.

Sed analysis argumenti non semper sufficit ad dignoscendum genus litterarium libri vel partis eius. Nonnunquam evenit problema difficile. Nobis occidentalibus

et modernus modus concipiendi et exprimendi antiquorum scriptorum hebraeorum est insolitus. Periculum imminet, ne in diudicando nostra criteria adhibeamus.

Difficultas crescit ob penuriam documentorum litteraturae hebraicae, quae exceptis posterioribus quibusdam inscriptionibus, tantum ad ipsos s. Scripturae libros reducuntur. qui magnam collectionem non constituunt, respectu plurium saeculorum habito.

Quamobrem in auxilium vocanda sunt testimonia historica v.g. de indole quarti Evangelii ex ipso Libro non satis clara, testimonia secundi saeculi adsunt, quae historicum characterem confirmant.

Cum a genere litterario sensus et per consequens interpretatio doctrinalis dependeat, Ecclesia interdum intervenit tum modo obligatorio, scil. imponendo ut v.g. accidit de historica indole Evangelii secundum Joannem in decreto sacrae Romanae et universalis inquisitionis „Lamentabili": prop. 16, 17, 18[1], tum lege directiva, per consilium Pontificium pro studiis de Re Biblica provehendis; ita evenit v.g. de historica indole trium primorum capitum Genesis: 30 iunii 1909 a.[2]

Inspiratio nullum genus litterarium, quod est in usu

---

1) Denzinger. Enchiridion symbolorum[10] n. 2016, 2017, 2018.
2) Denzinger. Enchiridion symbolorum.[11] - 2121 - 2128.

apud profanos scriptores, excludit, nam Deus in Scriptura s. humano modo loquitur proinde omne genus litterarium ideam divinam exprimere potest.

Auctores quidam, v.g. Billot[1], Brucker[2] aliique exceptionem introducunt, quam hic sequenti modo proponit: „sauf (les genres litteraires) qui pourraient imprimer au livre sacré quelque tache d'erreur ou d'indécence". — Mythum et poesim eroticam prae oculis habent.

Illud tamen genus in s.s libris deficit. Hoc vero, si solummodo describit amorem humanum ad commendandum rectum, ad edocendum de amore divino vel de nostra infidelitate erga Deum, prout est in Cant. Cant. et aliis textibus, v.g. Ezech. c. 23 de Oola et Ooliba, inspirationi non adversatur[3] praecipue si ad genera litteraria antiqui Orientis attendimus

Inter diversa genera litteraria, in A. T. repraesentata, historia eminet.

Narratio esse historica non cessat, quousque auctor realitatem factorum non vitiavit, etsi scopum per ea exercendi influxum quendam in lectorem habet.

Historicus inspiratus non narrat facta ad satisfaciendum curiositati nec ad praeteritum tantum

1) De inspiratione sacrae Scripturae, II ed. p. 148.
2) L'eglise et la critique biblique II ed., p. 49.
3) A. Durand S. J. Diction. apolog., col. 796.

describendum, sed finem subliniorem hisce prosequitur, qui consistit in interventione Dei gestis humanis indicanda, nempe hagiographus historiam sacram, religiosam exponit.

Quaestio oritur, sintne in sacra Scriptura narrationes historiae, late sumptae, in quibus auctor ob finem didacticum facta notis indole ficta exornavit. Hoc genus litterarium erat in usu apud rabbinos Judaeorum sub nomine מִדְרָשׁ [1]

Itaque est controversia inter exegetas etiam catholicos de libro Job[2], Judith,[3] Tobiae, Ester, Ruth.

1) a verbo דָּרַשׁ quaesivit, scrutatus est; מִדְרָשׁ erat interpretatio, commentarius rabbinorum in partem legalem et historicam ad moralem ss. librorum; textum explicat non tantum in se, sed etiam diversis speculationibus et allegoricis expositionibus exornat. Obiectum מִדְרָשִׁים halacha et hagada constituunt.

2) La tradition juive et chrétienne, le sentiment commun de l'Église, le ton du prologue et de l'épilogue, des indications éparses en d'autres livres inspirés, nous font voir dans ce drame une histoire, mais une histoire poétique et idéaliste. (Prat S.J. La Bible et l'histoire[5]. Paris. Bloud, p.33.)"

3) De tous nos livres canoniques, celui dont l'historicité soulève le plus d'objections est certainement le Livre de Judith... Le protestant aux yeux duquel, en matière critique, la tradition ne compte pas ou compte à peine, met en saillie les nombreuses objections que l'historicité fait naître. Le siège de Béthulie, la détresse d'Israel et sa délivrance inespérée, la fête nationale instituée à cette occasion,

Jonae prophetae. Interpretes in genere alii ob traditionem indolem proprie historicam horum librorum defendunt, alii vero negant. Hic habemus quaestionem

---

l'existense même de Bethulie et de l'héroïne semblent n'avoir laissé absolument aucune trace dans l'histoire sacrée et profane... Ouvrons le livre lui-même. De la première ligne, nous sommes en presence d'une impossibilité historique: Nabouchodonosor, roi des Assyriens, qui regnait a Ninive....

Etant donnée l'allure historique indeniable du Livre de Judith, il faut au catholique, conservateur par instinct et nourri dans le respect de la tradition, des arguments bien péremptoires pour abandonner la these classique." Prat. Ibidem. pp. 34-37.

Quaestio aperta remanet, donec effosiones forsitan nova documenta adferant vel decretum Ecclesiae difficultates solvat.

1) De libro Jonae von Hoonacker ita scribit: „De sa nature la question de savoir si l'auteur du livre de Jonas a voulu ou non écrire un recit historique proprement dit, relève de la critique littéraire. Et l'usage que le Seigneur fait de certaines données empruntées à ce livre ne se présente pas dans des conditions propres à changer la nature du problème. Il faudra donc en chercher la solution dans l'examen du livre lui-même. Sans doute, qu'il s'y trouve raconté des miracles, ce n'est point là, de soi, une raison pour nier ou mettre en doute, a priori, le caractère historique du recit, mais ce n'en est pas non plus une pour l'affirmer....

Dans le prologue à son commentaire sur Jonas, s. Jérôme écrit: Scio veteres ecclesiasticos tam Graecos, quam Latinos super hoc libro multa dixisse, et tantis quaestionibus non tam aperuisse, quam

litterariam, non autem dogmaticam aut moralem; problema nondum solutum remanet.

---

obscurasse sententias, ut ipsa interpretatio eorum opus habeat interpretatione, et multo incertior lector recedat, quam fuerat antequam legeret. Non hoc dico, quo magnis ingeniis detraham..., sed quod commentatoris officium sit, ut quae obscura sunt, breviter aperteque dilucidet, etc.

Ainsi donc, tant parmi les Grecs que parmi les Latins, des hommes autorisés avaient sur le livre de Jonas, dont le texte ne présente guère de difficultés au point de vue du sens litteral, des idées, qui depassaient ce point de vue et qui ne peuvent avoir porté que sur la signification à attribuer au livre. S. Jérôme se defend de vouloir entrer dans cette voie, sans la désapprouver, et se bornera à l'explication du texte. Les commentateurs en sont venus, de bonne heure, à traiter le livre de Jonas comme un livre historique proprement dit. Nous ferons remarquer à ce propos que le point sur lequel nous venons de porter notre attention est celui du caractère ou du genre litteraire du livre, et qu'en ce qui concerne le livre de Jonas comme en d'autres occasions cette question ne présente de connexité necessaire avec aucune verité de dogme ou de morale".

(Les douze petits prophètes. Paris 1908 p. 324-325.)

Maior controversia viguit de indole primorum undecim capitum Genesis. Hucusque Commissio Pontificia de Re Biblica sententiam traditionalem confirmavit de tribus primis capitibus. 1909 a. 30 iunii[1]

Imo in s. libris proprie historicis non possumus quaerere historiam compositam secundum methodum scientificam nostram.

Argumentum et forma historicorum Librorum ss. exhibent genus litterarium primitivum, simplex quod antiquitus apud Orientales in usu erat. Licentia historiae orientalis quaedam incognita scriptoribus occidentalibus complectebatur; v. g. geologia est documentum historicum, apud orientales tamen indole conventionali, non absoluta gaudebat, illi enim in scriptis genealogicis suis filiationem realem et pure legalem confundebant, gradus intermedios omittebant.

Secundo, thesaurus et varietas litteraturae sacrae apparet praecipue in poesi.

Carmina poesis lyricae diversa forma, uti oda, elegia, etc invenientur in psalmis et apud prophetas.

Poesis gnomica in libris sapientialibus summopere exculta est.

[1] Denzinger: Enchirid. symbol.[11] 2121–2128.

Canticum canticorum equidem non est drama ob defectum nodi sufficientis, sed comparari potest cum optimis operibus choricis Graecorum.

Fabulae et parabolae erant notae auctoribus V. T.: Jud 9.7; 4 Reg.[1] 14, 9. Parabola tamen perfectionem assecuta est in N. T.

Allegorias legimus apud Ezechielem.

Tertio Libri V. T. genus singulare complectuntur, scil. propheticum.

Propheta Hebraeorum נָבִיא non pronunciat breves sententias, prout v.g. oracula Delphis, respicientes solummodo tempus futurum; ille munere nuntii divini modo ampliori fungitur. Prophetia biblica non est tantum praedictio futuri, sed etiam interpretatio historiae et appretiatio praesentis. Prophetae annuntiabant Messiam eiusque Regnum, ex altera parte erant custodes theocratiae. Propheta est videns רֹאֶה et simul orator. Isaias, Jeremias, Ezechiel recurrunt ad omnia genera rhetoricae et poesis, ut auditores moveant. Interest multum psychologiam eorum cognoscere ad recte textum propheticum interpretandum.

Prophetae regnum messianum describunt, uti gloriosum exitum regnorum David et Salomon. Eventus praedicti videntur adimpleri; quam permissum erit Judaeis

[1] De parabolis cf. Revue biblique 1909 fasc. 2-3: Lagrange. La parabole en dehors de l'Evangile.

post reditum e captivitate personam Messiae eiusque opus contemplandi. In visione prophetica adest illusio optica ob defectum prospectus, ac si eis tempus et spatium non existerent. Inde oritur contextus opticus, cum eventus descripti sunt per modum unius, quos reapse separemus oportet.

Denique, in N. T. duo genera singularia invenimus, vdl. genus epistolarum in operibus s. Pauli et apocalypsim s. Joannis; haec nomine ad litteraturam Judaeorum extracanonicam, indole vero ad propheticas accedit.

c) Authentia s. libri stabilita genere litterario eius determinato, interpres in processum compositionis inquirat oportet. Huc primo quaestio fontium in Libro sacro spectat, utrum scilicet in eodem Libro fontes sint adhibiti, an quisque Liber totus ab uno solo auctore absque fontibus exaratus sit.

Hagiographi non omnium rerum, de quibus scripserunt, notitiam per supernaturalem revelationem acceperunt; saepe enim fontes ex quibus hauserunt, indicant. Ita in Pentateucho nominatur „Liber bellorum Dei" Num. 21, 14; in libro Josue „Liber iusti", 10, 13; in libris Regum fontes fuisse annales regnorum Juda et Israel dicuntur, v. g. 3 Reg. 14, 19. 29;

in libris Paral. sesedecim nomina documentorum ocurrunt, v.g. 1 Par. 29,29; 2 Par. 9,29 etc.; auctor 2 Mach. opus Jasonis abbreviavit 2 Mach. 2, 24. Hi scriptores et alii pro suûs librûs ad fontes externos provocant.

Imo in eodem capite diversos fontes invenire possumus, nam orientalis auctor historiam alio modo, quam noster scribebat, videlicet, ille unum fontem ad verbum, tamquam fundamentum coram se ponebat, deinde ex aliis fontibus singulas voces ac propositiones referebat; fontem haud immutabat, nam semel bene conscriptum, absque immutatione recipi debet; quinimo titulum fontis raro indicat, quia litteraria proprietas aut furtum antiquitus erant saepissime ignota. Igitur saepe difficile est nobis fontes V.T. distinguendi, separatim enim non sunt conservati.

Posset quis obiicere, theoriam fontium Libro sacro dedecere, cum inspiratione pugnare. Attamen hic modus scribendi catholicam notionem de inspiratione certe non vitiat, nam motio Dei fit secundum aptitudinem ac indolem scriptoris. Deus inde orientalem inspiravit, ut, tamquam talis, non autem tamquam recens occidentalis scriberet.

Quapropter quod fontium in Libro sacro quaestionem

spectat iam antiqui Patres animadverterunt hagiographos documenta scripta praecipue ad libros ss. historicos conscribendos adhibuisse; ita putabat Procopius de Gaza, Joannes Chrysostomus, Eusebius; postea recentiores interpretes, ut card. Hugo a s. Caro O. P. aliique. Exegetae hodie generatim hunc processum in exarandis Litteris sacris admittunt.

Quare Commissio Pontificia de Re Biblica dubium de fontibus in Pentateucho sequenti modo solvit. Dubium III: Utrum absque praeiudicio mosaicae authentiae Pentateuchi concedi possit Moysen ad suum conficiendum opus, fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divinae inspirationis afflatu nonnulla hauserit eaque ad verbum vel quoad sententiam contracta vel amplificata ipsi operi inseruerit?

Resp. Affirmative [1] 27 maii 1906 a.

Fontes non solum in libris historicis, sed etiam in sapientialibus inveniri possunt. v. g. auctor Proverbiorum existenti litteratura gnomica uti poterat.

Prophetae quoque in historica parte libri documenta scripta adhibere poterant.

Praeter documenta in libros s., textus aliunde

[1] Denzinger: Enchir. Symb. [11] n. 1999.

laudati non sunt praetermittendi. In s. Scriptura sunt textus ex alio documento simpliciter relati seu „citationes", quae partem integrantem orationis non constituunt. Duplicis generis „citationes" in ss. Litteris observamus: explicitas et implicitas. Explicitae inveniuntur si auctor speciali formula eas introducit aut modo aliquo, ita ut primo obtutu citatio dignoscatur.

Maior difficultas adest ad dignoscendas citationes implicitas. Nostra aetate variis artificiis typographycis indicantur, quae ex aliis tacito nomine auctoris exscribuntur, quod apud antiquos in usu non erat. Aequales illorum scriptorum „citationes implicitas" facilius dignoscere poterant, quia documenta adhuc existebant, ex quibus desumptae erant. Nunc haec sectio est laboriosa, quae saepe nos tantum ad probabiles coniecturas ducit. V. g. libri Paral. post tempus exilii scripti sunt, cum templum et arca foederis iam diu destructa essent. Nihilominus ubi sermo est de finita aedificatione templi sub Salomone rege, narratur, quomodo sacerdotes arcam foederis in sanctuarium intulerint et additur: „Fuit itaque arca ibi usque in praesentem diem." 2 Paral. 5, 9. Illi qui primi libros Paral. legebant, bene intelli-

gebant haec verba de suo tempore non valere, sed referri ex documento, quod ante destructionem templi scriptum erat, seu esse citationem implicitam. Ad eas dignoscendas interpretes duplex criterium commendant, scil. ex indole textus et ex eius identitate cum alio desumptum.

Ita primo ex natura textus v.g. genealogiae, accurati numeri ex praeterito tempore, excerpta ex officialibus documentis esse citationes implicitae censentur.

Secundo comparando 3 Reg. cum 2 Paral., longas periodos inter se identicas animadvertimus. Idem observamus v. g. inter ps. 104 et 1 Paral. 16, 8 ss.; Is. 36-39 et 4 Reg. 18, 13-20, 20. etc.

Igitur unus horum textuum ex altero descriptus erat aut etiam ambo ex alio relati sunt, quod coevi ob fontium praesentiam facile dignoscebant, nobis autem res saepemodo difficilis evenit.

„Sunt theologi quidam catholici, qui censent ad citationes implicitas recurrendo, multas et graves difficultates biblicas se posse solvere [1] idque hoc modo: historiographi sacri V. T. plurima, quae scripserunt, ex priscis documentis hauserunt. Eatenus igitur magna vel fortasse maxima pars librorum V. T. consistit ex citatis, partim explicitis, partim implicitis. Scriptori autem, qui aliorum dicta citat, neque necessitas semper incumbit, neque voluntas

[1] Pesch. De inspiratione sacrae Scripturae pp. 540-541.

semper inest affirmandi, vera esse ea, quae citat,. Saepe contentus erit veritate citationis, iudicium de veritate rei citatae legentibus relinquens. Quare sicubi difficultas oritur in libris historicis V. T., quae alia via convenienter solvi nequit, licebit admittere agi ibi de citatione implicita, cuius veritas non requirit, ut res citata sit vera, unde veritas rei citatae erit obiectum liberae inquisitionis et disputationis." Exempla proponunt de censu populi facto sub Davide 2 Sam. 24, 9. et 1 Paral. 21, 5. ubi numerus diversus proponitur, vel de filiis Beniamin: Gen. 46, 21, quorum numerus est decem; 1 Paral. 7, 6: tres; 1 Paral. 8, 1: quinque. Difficultates illi solvere conantur ope citationis implicitae ex diversis documentis.

Attamen aliae solutiones talium difficultatum plerumque adsunt, sancti Patres enim iam queruntur de corruptione numerorum et nominum, a librariis vel amanuensibus facta, quod recentes quoque exegetae confirmant. Et sic res se habet de aliis antiphaniis, quas uno simplici principio citationum implicitarum solvere non possumus, sed in singulas inquirendum est.

Commissio Pontificia de Re Biblica praesentiam citationum implicitarum non negavit, quae tamen pro arbitrio nullo modo statuendae sunt.

Ad dubium[1]: Utrum ad enodandas difficultates, quae ocurrunt in nonnullis sacrae Scripturae textibus, qui facta historica referre videntur, liceat exegetae catholico asserere agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cuius asserta omnia auctor inspiratus minime approbare aut sua facere intendit, quaeque ideo ab errore immunia haberi non possunt?

Responsum est (approbante Pio X)

Negative, excepto casu, in quo salvis sensu ac iudicio Ecclesiae solidis argumentis probetur: 1° Hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare et 2° eadem nec probare nec sua facere, ita ut iure censeantur non proprio nomine loqui." (13 Febr. 1905.)

Ergo citationes implicitae raro admitti possunt.

Denique ultima observatio criticae litterariae animadvertenda est.

Nonnulli scriptores sacri Libros suos non ipsi in unum opus composuerunt. Ita Isaias propheta coram populo habebat sermones qui conscribebantur et divulgabantur. Serius dumtaxat ab aliis in unum librum conflati sunt et quidem interdum

1/ Denziger. Enchir. symb.[11] n. 1979.

absque ordine servato. V. g. vocatio prophetae capite VI° loco initii posita est, videlicet, post multa oracula, certo post vocationem prolata. Quae circumstantia in compositione oraculi vel pericopae examinanda prae oculis habeatur.[1]

Tali pacto igitur critica litteraria in processum compositionis inquirit: authentia Libri stabilita, difficultates de genere litterario solvit, deinde elementa constitutiva Libri proponit, quae omnia recentissima problemata comprehendunt atque sequentem criticam multum adiuvant.

Critica historica[2]

Pars praecipua exegesis, scilicet, critica historica explicanda remanet, cuius munus consistit: a) primo, in veritate hermeneutica ex textu sacro stabilito eruenda ac proponenda, b) secundo, in obiectiva veritate enarratorum in Libris Sacris tuenda et quidem in lumine philologiae, geographiae, historiae, archaeologiae, theologiae biblicae, sed non ex professo illas disciplinas tractando.

a) Ad quem scopum obtinendum, primo, regulae hermeneuticae applicandae sunt.

---

1) Tandem observandum est collationem textus sacri cum parallelis partem criticae litterariae constituere, cuius tamen mentio est in critica historica.

2) Duae praecedentes partes, utpote recentia problemata complectentes, paulo fusius sunt evolutae; haec autem, tanquam magis nota, breviter expeditur.

Sensus cuiusvis partis quaerendus est, primum, ex regulis heuristicae rationalis seu in quantum Scriptura Sacra liber sermone humano conscriptus sit.

Igitur praeprimis scire oportet vocabulorum significationes, quae auctor s. adhibuit seu aliis verbis eius usum loquendi. Elementum hoc est philologicum. Deinde, cum vocabula plures significationes habere possint, interpres investigare debet, quamnam earum auctor hic et nunc intenderit, quod fit ope criteriorum internorum et externorum. Criteria interna sunt, quae ex ipsa sermonis materia desumuntur, prout auctor certa voce, iuxta leges cogitandi, hoc in contextu, hoc vel illud exprimere voluit. Ideo contextus, argumentum orationis et loci paralleli examinanda sunt.

Tum adhibenda sunt Criteria externa, in quantum sensus inventus accuratius determinetur ex quibusdam adiunctis historicis, uti sunt: persona loquens, auctor textus, occasio, scopus auctoris, orationis auditores et lectores aliaque adiuncta historica, quorum (adiunctor. hist.) notionem habens exegeta accuratius sensum proponet, innumerae enim sunt allusiones ad populi Israelitici et finitimorum eius historiam, geographiam, religionem, mores, consuetudines, quae inexplicatae dictorum sensum obvium interdum obscurum redderent, sed cognitae et in commentario expositae mentem s.s. auctorum aperiunt.

Quare in exegesi attendendum est etiam ad historiam populi Israelitici et vicinorum, geographiam sacram et antiquita-

tes biblicas.

Hucusque indicatae sunt regulae, quarum ope sensus Sacrae Scripturae, tanquam libri sermone humano exarati, eruitur. Sed hae interpreti non sufficiunt, cum Scriptura sacra insuper liber divinus sit, i. e. Deum habens auctorem, quo inspirante hagiographi libros suos exararunt.

Quapropter exegeta regulas **heuristicae christianae** observet oportet.

Primo, cum Deus neque falli, neque fallere possit, proinde interpretationem, quae supponeret inspiratum scriptorem docuisse errorem, reiiciat.

Cum Deus sit auctor principalis Librorum sacrorum et scriptores humani dumtaxat eius instrumenta fuerint, vera contradictio inter ipsos textus sacros et inter hosce ac scientias profanas adesse non potest, sed tantum repugnantia apparens seu enantiophania, quam occurentem solvat oportet.

Ulterius exegeta praeter sensum litteralem exponet etiam sensum spiritualem seu typicum, e quo argumentum efficax ad probandas res fidei desumi potest.

Denique, vaticinia, si in textu adsunt, singulari modo interpretabitur[1], videlicet: initium et finem prophetiae indicet; argumentum eius secundum usum loquendi, criteria interna et externa consideret; utrum prophetia sit absoluta an conditionata, inquirat; in historia prophetiae, quam interpretatur,

1) Zapletal. Herm. bibl., I ed. p. 99

adimpletionem quaerat, cum hoc modo ipsi textui prophetico interdum lumen afferatur; prophetiarum messianarum adempletionem in libris N. Testamenti et Ecclesiae historia, prophetiarum, quae ad populum Israeliticum et nationes ei vicinas referuntur, in eorum historia reperiet; tempus praenuntiatorum bene distinguat, prophetae enim saepe unica imagine plures eventus tempore distantes depinxerunt, futura, tanquam eventus praeteritos, praesentes aut saltem mox imminentes delineaverunt.

Tandem Sacra Scriptura non solum est liber divinitus inspiratus, sed etiam est liber Ecclesiae traditus ad custodiendum et interpretandum: ideo regulae heuristicae catholicae, quae directe vel indirecte authenticam expositionem ss. Litterarum praebent, nullo modo praetermittendae sunt. Quare exegeta attendens ad decreta concilii Tridentini [1] et Vaticani [2] in rebus

1) Conc. Trid. (sess. 4) sequens decretum tulit: „Praeterea (sacrosancta Synodus) ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent."
Denzinger. Enchiridion symb. 11a, n. 786.

2) Quia serius de sensu decreti conc. Trid. dubia exorta sunt, concilium Vaticanum (ss. 3, c. 2) ipsum declaravit: „Quoniam vero, quae sancta Tridentina synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos idem decretum innovantes, hanc illius mentem esse declaramus ut in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari." Denzinger. Op. c. 11a, n. 1788.

fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium videat utrum interpretatio loci ab Ecclesia authentice declarata existat.

Quae si deest, ut saepissime evenit, saltem analogia fidei respicienda est, deinde Patres Ecclesiae consulendi sunt. In N. T. quidem interpretatio textus et doctrina Patrum arcte iunguntur. Esset contrarium methodo scientificae eos negligendi, nam Patres non tantum sunt testes fidei, sed et antiquarum idearum ac morum, uti proximi aevo Apostolorum.

In V. T. etsi lumen minus adferant, attamen antiqui Patres quoque notabile auxilium praebent. Praeter fragmenta ad criticam textualem, ipsum sensum eruere adiuvant, praesertim in rebus fidei et morum; sed etiam sub alio respectu consulendi sunt: illorum enim quidam vixerunt in Palaestina, minus transformata, quam hodie; Eusebius et s. Hieronymus multum meriti sunt in explicanda geographia ss. Librorum. Certe, superfluum esset alligandi Patres posteriores, exceptis solum paucis et quidem gravioribus, quia nec immediate Orientis s. studiis operam dederunt, nec hodiernum scientificum apparatum exegesis callebant.

Tandem attendendum est ad opera eximiorum exegetarum et cum scopo scientifico etiam ad praecipuas sententias adversariorum, ut textus omnimode explicetur. In hisce omnibus tamen cum prudenti parsimonia[1] agendum est, ne interpres ab idea principali deflectat et subtilibus exquisitionibus rem implicet,

1) Kihn. Encyklopedie und Methodologie der Theologie, 1. p. 198.

substantia enim criticae historicae in clara expositione, graviter probata, sensus obvii consistit.

Veritate exegetica proposita, non est opus veritatem dogmaticam textus exponendi, quod ad munus theologi, non autem interpretis Scripturae sacrae pertinet.

b) Olim munus exegetae in eruenda et proponenda hermeneutica veritate absolvebatur, seu interpres solummodo indicabat, quid Liber sacer doceret, nam nemo in dubium vocabat veritatem enarratorum in Litteris sacris, utpote a Deo inspiratis. Hodie tamen, prout in proemio monuimus, circumstantiis mutatis, insuper obiectiva veritas dictorum tuenda est seu utrum reapse verum sit, quod Liber sacer narret, an ineptiae ac falsae historiae exhibeantur, stabiliendum est; in hoc alterum munus criticae historicae consistit.

Primo, relate ad scientias naturales graves difficultates deficiunt, interpretes enim hodie communiter conveniunt, Scripturam sacram non esse manuale scientiarum physicarum, non „intimam adspectabilium rerum constitutionem"[1] docere, sed „sicut communis sermo per ea ferebat tempora"[2] seu ad apparentiam exhibere, quod et hodiedum passim evenit.

Secundo, multo difficilius est veritatem historiae in V. T. enarratae vindicandi. Equidem in genere critica historica v. g. in cosmogonia biblica (Gen. 1,1-2,3) affinitatem eius cum cosmogoniis

1) Encycl. „Provid. Deus". Camerlynck. op. c.; p. 20;
2) Ibidem.

gentium exponit, unde historicam auctoritatem biblicae vindicat; in Cantico Debhorae (Iud. 5) momentum Cantici ad historiam et religionem Hebraeorum illustrandam explicat. Eadem critica Historiae Samsonis (Iud. 13-16) hanc cum mythologia comparat et illius historicam auctoritatem defendit. et sic porro. Attamen in singulis premendis multae difficultates occurrunt. Quae auferri videntur, si interpretes varia genera historiae distinguerent,[1] scilicet, aliam sensu stricto, aliam latiore, ad pios sensus fovendos, in qua elementa narrationis ex historia desumpta sunt, sed iuxta posita et coniuncta sunt in Libro secundum primarium scopum moralem vel religiosum, quem auctor sacer prosecutus est.

x x x

Rei de methodo exegesis finem imponendo, animadvertimus, primo, triplicem illam criticam in praxi non semper explicite separari et seiungi posse, quae ordinarie coalescat, partes invicem se perficiant et hoc modo sensum textus sacri accurate eruant; secundo, triplicem criticam non ubique in commentario applicandam esse.

---

1) Cf. supra: de genere litterario.

Idea fundamentalis Veteris Testamenti.

In historia[1] Veteris Testamenti legimus pulchros, sanctos eventus, at nonnumquam tristia ac prava facta invenimus, scilicet, praevaricationes, crudelitates, scelera ac poenas promeritas. En eiusmodi exempla quaedam: ipso initio contumaces protoparentes Adam ac Eva Dei praeceptum violant, ob quam causam e paradiso eiiciuntur; Cain fratrem Abelem occidit; diluvium corruptum genus humanum aqua submergit; linguae superborum ad Babel confunduntur; impudica Sodoma igne e coelo destruitur; Joseph per invidiam fratrum venditur; crudelis pharao infantes Hebraeorum in flumen proiiciendos iubet; atroces plagae Aegyptum plectunt; Hebraei in deserto rebellant; circa vitulum aureum prope montem Sinai ludos saltatorios committunt; a Deo severe castigantur et sic porro.

Dum adolescens eiusmodi gesta legit[2], facile concludit, haec vitia ab exemplo vitae sanctae longe abesse, qua-

1) Utiles animadversiones dantur religionis praeceptoribus, quorum quidam potius eventus Veteris Testamenti, quam historiam sacram docent.

2) Cf. Sandrieux. L'Histoire et les histoires dans la Bible. Paris. Lethielleux; pp. 13-85.

propter librum Veteris Testamenti ea narrantem nomen sacri iniuste mereri; ergo sive titulum eius esse falsum, sive aliud quid, ab hisce pravis narrationibus distinctum, historiam sacram constituere.

Utique historia sacra est aliud quid, illi autem eventus tristes postscenium efficiunt; sed maculae atramenti in charta Scripturae sacrae non impediunt, quominus, quae Deus scribenda intenderit, legamus.

Historia sacra est genetica enarratio divinae economiae salutis seu est opus, quod Deus in ordine ad redemptionem generis humani per eventus huius mundi prosequitur. Opus est Dei, ideo, historia divina seu sacra appellatur; simul manca dicitur, quia Deus operatur homine mediante, operario fragili; actionis divinae depravandae capaci; hominis actus mali consilium et scopum Dei coarctant; sed historia sacra ab hisce seiungi potest ac unum sublime exhibet. Itaque eventus humanos separemus atque consilium Dei circa humanam salutem verbis et factis manifestatum stabiliamus oportet.

Factum dominans, quod seriem saeculorum in duas partes, tempora antiqua et novam periodum dividit, est Redemptio generis humani. Itaque obiectum historiae sacrae constituunt actiones divinae ac gesta humana, quae Christum-Redemptorem spectant, nempe viam ei praeparando, deinde opus ~~(Dei)~~ Christi perenne reddendo.

Igitur idea fundamentalis historiae sacrae est idea messiana, quae facta V. T. iungit, illustrat atque praecipuis grave momentum facit; eius exploratio per decursum saeculorum in V. T. obiectum nostri studii constituit.

Idea de Messia a primis capitibus Scripturae sacrae enascitur.

Initium historiae generis humani lapsu absolvitur; protoparentes dispositiones paternas Dei violaverunt, ideo primum consilium amoris Dei erga homines iustitiae vindicandae locum cessit. Sed misericors Deus loco primi consilii, genus humanum respiciens, novum, scilicet, Redemptionis statuit. Homo lapsus „in sudore vultus vescetur" Gen. 3,19 et tali pacto felicitatem perditam recuperabit, attamen pondus aestus non solus portabit, Deus, videlicet, revelationem praestat de femina praedestinata, de altera Eva, cuius filius conteret potentias inferni.[1] In hac prophetia messiana est sermo de certamine (inimicitias ponam...) et quidem longo (semen tuum et semen illius) ac periculoso (insidiaberis), quod tamen unus (text. hebr.) e posteris Evae plena victoria (conteret caput) absolvet et tali pacto maculam peccati expiabit.

Quae prima promissio Redemptoris est parva lux in media nocte, est germen immensae spei futuri Messiae, qui abhinc idea centralis totius Veteris Testamenti erit.

Illud tertium caput libri Genesis Protoevangelium dicitur, tanquam Novi Testamenti praefatio.

1) Gen. 3,15

Postea ubiprimum genus humanum multiplicatur, duae directiones deprehenduntur: nempe posteri Adam pedetentim tenebris perversionis merguntur; posteri autem Seth „filii Dei" (Gen. 6, 2) perseverant, sed temporis succesu ipsi quoque a via recta deflectunt, prout ceteri; quapropter in communi impietate et perversione fides in futurum Redemptorem periculo exponebatur in oblivionem venturam esse. Ideo diluvium, de anthropologica universalitate vel relativa extensione cuius problema apertum remanet, ab Ecclesia haud definitum, purgavit saltem regionem, in qua peccatrix gens ad revelationem transmittendam destinata vivebat.

In Noë religio est instaurata primamque puritatem adipiscitur. In ruinis antiqui mundi idea messiana confirmatur: Novimus eventum irreverentiae Cham erga patrem suum Noe, qui occasionem obtulerat prophetiae de sorte posterorum Noë per filios eius Sem, Cham, Japhet[1]: videlicet, maledicta est stirps Cham, dominium politicum praedicitur gentibus ex Japhet oriundis, posteris autem Sem eximia singularia privilegia promittuntur, quae Patres Ecclesiae missionem messianam esse interpretantur.

Abhinc scriptor sacer semitas tantum prae oculis habet; Scriptura sacra liber nationalis eorum evenit, dispersio enim gentium (Gen. 11.) probabiliter plura saecula post diluvium et quidem in gente Semitarum accidit.

1) Gen. 9, 25-27.

Immediate sequens caput duodecimum libri Genesis exhibet Abraham, certe longo tempore elapso post turrim Babel.[1] Vita religiosa ac moralis apud coaevos Abrahae non erat melior, quam sub Noe.; Idololatria ubique terrarum etiam apud Semitas dominabatur, ut ex Jos. 24, 2 apparet: „Et ad populum sic locutus est: haec dicit Dominus Deus Israel: trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham et Nahor, servieruntque diis alienis." Opus erat altero diluvio, quod tamen non fore promissum est. Gen. 9, 11. 15. Itaque Deus, cum libero concursui hominis inniti haud possit, eum ad propositum Redemptionis prosequendum coacturus est. Quo fine novum mundum non creat, sed familiam eligit, in medio cuius puram religionem et messianam missionem conservaturus est; illa cum ceteris gentibus non miscebitur. Cui scopo consequendo Providentia Abraham Semitam seligit: „Egredere de terra tua et de cognatione tua, et veni in terram, quam monstrabo tibi. Faciamque te in gentem magnam et benedicam tibi..... atque in te benedicentur universae cognationes terrae." Gen. 12, 1-3

Obediens[2] Abraham mandato divino, profectus est in ignotam regionem Chanaan„ Cumque venisset in eam, pertransivit Abraham terram usque ad locum Sichem". Gen. 12, 6. Tali pacto Abraham factus est ramus a trunco separatus, ut auctor novi generis eveniret.

Facta quaedam in vita patriarchae adnotanda sunt, quae ad ideam fundamentalem V. T. evolvendam notabilia erant.

1) Chronologia primis capitibus l. Genesis est omnino indeterminata
2) „Fide obedivit ...... nesciens quo iret." Hebr. 11, 8.

Abraham modo nomadum in regionem Chanaan venit; mox ob famem in Aegyptum transiit, prout postea Hebraei fecerunt, tandem ipse Messias, cui illi viam praeparant.

Post reditum ex Aegypto occasione rixae inter pastores gregum Abraham et Loth, Deus nepotem, qui eum secutus erat, separat et e munere messiano eliminat.

Postea fidem electi Abraham probat, scilicet, numerosa prole praevie promissa, absque liberis longe relinquit. Abraham putabat se consilia divina adimplere, postquam Hagar, servam Sarae secundum mores temporis uxorem duxit; attamen eius filius Ismael non erit heres promissionum, sed Isaac filius, in senectute contra omnem spem progenitus. „Risum fecit mihi Deus", ait Sara (Gen. 21,6), quibus verbis inverisimilem maternitatem indicat.

Prout antea Loth, ita nunc simili modo Ismaelem Providentia e familia messiana eliminat: Sara, postulans eiectionem Hagar cum Ismaele e tabernaculo Abraham[1], proprio desiderio satisfecit; simul tamen inscia consilium divinum prosecuta est.

Nova maior probatio fidei Abraham sequitur, scilicet, mandatum filii offerendi. Deus non sanguinem pueri postulabat, sed obedientiam patris tentabat. Isaac ligna sacrificii in montem Moria portans, est typus Messiae crucem baiulantis.

Abraham fidelem servum Eliezer in Mesopotamiam mittit, qui uxorem Isaac quaereret, quo eventu pariter muneri messiano profuit, nam filiae Chananaeorum erant gentiles, in Mesopotamia autem in genere Sem familiae quaedam deo fideles adhuc vivebant.

1) Gen. 21,9 ss.

Porro Deus fidem electorum suorum probat: nempe Rebecca viginti annis sterilis erat et tandem geminos Esau et Iacob peperit.

Praeter Loth et Ismael ex familia messiana Esau eliminatur; parva occasione pulmenti accedente insigne ius primogeniti cedit et ad munus messianum prosequendum indignus fit. Iacob autem matre adiuvante benedictiones messianas consequitur. Postea fugiens iratum fratrem Esau, in Mesopotamia apud Labanum degens, uxores ex stirpe fidelis Sem, prout pater eius Isaac, duxit.

Nunc secundum gradum in evolvenda divina oeconomia salutis animadvertimus. Familia electa inoffenso pede primos passus fecit in regione Chanaan. Abraham et Isaac, exteri in Chanaan, mediis in gentibus idololatris, vitam suam propriam, singularem, ipsi haud infecti, vivebant. Sed genus Iacob numerosum evenit, ita, ut impossibile esset longius autonomicam vitam, independentem a Chananaeis idololatris, ducendi; quapropter periculum se inquinandi idololalria imminebat.

Invidia fratrum ducit venditum Iosephum in Aegyptum, qui post varias vicissitudines, in palatio pharaonis insignem dignitatem obit; post quatuordecim annos filii Iacob occasione famis eadem via ad fratrem suum, viceregem Aegypti pergunt, quo in regione Gessen tuto extra periculum idololatriae stirps messiana domicilium fingit, deinde crescit et physice roboratur. Tali modo per facta naturalia, simplicia Providentia consilia sua adimplet.

Hic in Aegypto idea messiana subito vivido lumine illustratur, videlicet, senex patriarcha Iacob non solum originem Messiae de Iuda praedicit, sed etiam tempus adventus eius indicat: „Non au-

feretur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat שִׁילֹה, et ipse erit expectatio gentium." Gen. 49,10., i.e. Redemptor in mundum veniet, cum summa potestas a Iuda ablata fuerit.

Commoratio Hebraeorum in Aegypto in duas periodos dividitur: prima fuit prospera, postea dura servitus succesit, attamen in conditionibus solitudinis moralis, quae populum electum a paganismo servabat, nempe Israelitae in Gessen, geographice separato a reliqua Aegypto, degebant, insuper in statu sociali regionis, quae in classes stricte claudebatur, vivebant; quare periculum se immiscendi indigenis non imminebat.

Sub semitica dynastia Hyxos, Israelitis benevola, populus electus multiplicabatur, donec nova dynastia indigena, extero pharaone expulso, surrexit et postea Israelitas opprimere coepit: „Surrexit interea rex novus super Aegyptum,[1] qui ignorabat Ioseph et ait ad populum suum: ecce populus filiorum Israel multus et fortior prae nobis." Ex. 1,8. Gravis persecutio Israelitarum saevit, in construendis immanibus monumentis consistens. Instructiones nefariae obstetricibus et atrox decretum occidendi omnes masculos Hebraeorum dantur. Quo tempore mirabili modo infans Moyses servatur, in palatio pharaonis educatur, scientiis sacerdotum Aegyptiorum eruditur, deinde per quadraginta annos desertum discit et post celebrem visionem in Horeb munere liberatoris fungitur. Irresistibilis pharao, plagis fractus, populum Israel remittit. Instituto ritu symbolico agni paschalis,

1) cf. infra Problema: Hebraei in Aegypto.

sacrificium Redemptionis praefigurantis, Moyses post seriem prodigiorum Hebraeos in desertum Arabiae ducit.

Populus electus ex Aegypto egrediens alteram periodum absolvit: I. Ex Abraham in terra Chanaan natus; II. in Gessen multiplicatus est et fortis evenit; III. nunc schola formationis theoreticae indigebat, ad quem scopum obtinendum Sinai optime inservivit.

Quies deserti, immania cacumina in solitudine inculta animum humanum colligunt; formidine afficiens theophania in monte Sinai (Exod. 20) in vividam imaginem orientalium magnum influxum exercuit.

In hoc secessu Deus afflictum per persecutiones animum Hebraeorum, paulatim elevat et scintillam vocationis messianae expergefacit. Ex illa turba nomadum, saepe ad rebellionem parata, Deus per Moysen populum sibi format, videlicet, mores emendat, in vita sociali educat, in sublimi Lege instituit, quae in singulis vitam civilem et religiosam cum tanta sapientia regebat, ut per decursum quindecim saeculorum recognitione et correctione non indigeret. Lex Sinaitica una cum ordine sociali in minutissimis determinato exhibebat sublime systema doctrinae et summam praescriptionum liturgicarum, quae per symbola et typos intellectum Hebraeorum ad munus messianum continuo dirigebat.

Ex multis eventibus huius tumultuosae periodi unus praecipue animadvertendus est, quod ad opus messianum prose-

~~prae~~quendum magni momenti erat.

Moyses ex deserto Pharan in regionem Chanaan misit duodecim exploratores, (Num. 13-14.), qui post quadraginta dies reversi sunt, fructus terrae Promissae portantes, inter alios palmitem cum uva, quem in vecte duo viri[1] ferebant. Decem illorum erant proditores, ipsi enim per exaggeratas narrationes de potentia gentium chananaearum, magno metu Israelitas affecerunt, ita ut seditio populi contra Moysen et Aaron imminuerit.

Gravis poena secuta est, non obstante enim Moysis intercessione Deus seductores morte multavit et statuit, ne in Terram Promissam intrarent viri, qui viginti annorum et maiores natu erant, scilicet, quos a rebellione aetas adulta non excusabat, sed in deserto morerentur, quadraginta annos ibi manentes. Quae castigatio insignes sequelas habuit: nempe, primo, Deus senes, qui Aegyptum noverant, ab ingressu in Terram sanctam eliminando, omnia vestigia

1/ Num 13,24. certe non ob pondus, sed commoditatis gratia.

externi influxus auferebant; secundo, differens introitum in regionem Chanaan et populum in duro deserto relinquens magis constantem ac perseverantem reddebat.

Quo tempore elapso quum Hebraei ad portam Terrae sanctae cum gentibus versari inciperent, hic populus renovatus erat, memoria consuetudinum aegyptiacarum erat exstincta, praeterita praeiudicia sublata, constantia roborata, idea vero messianica profunde offirmata, ita ut sub Josue vere novus populus, populus Dei vitam in nova patria inchoaret.

Nova periodus in vita populi electi aperitur.

Ad institutionem religiosam absolvendam et munus messianum stabiliendum Dei multum intererat Israelitas retinendi separatim longe a nationibus gentilibus, ne idololatria contaminaretur. Qui scopo Palae-

stina probe correspondebat, nam qua-
si vallo naturali cincta est, scilicet,
ab oriente et meridie deserto termi-
natur, a septentrione mons Libanus,
ab occidente mare Mediterraneum
limites constituunt.

Mandatum gentiles cananaeos occi-
dendi; diversa praecepta Legis, v. g. circum-
cisio, cibi puri, impuri etc. amicitiam
cum gentibus impossibilem reddebant
atque praesidium morale populo electo
efficiebant.

Carentia stabilis centralis regi-
minis post Josue, primis saeculis post
occupationem Terrae promissae impedi-
bat, quominus Israelitae extra natu-
rales limites politice se extenderant; tali
facto attentio ad vitam religiosam faci-
lius retinebatur. Quaeris fere tribus tunc
temporis autonomia gaudebat, communis
dumtaxat religio omnes iungebat.

Porro ad Israelitas opressos et poeniten-
tiam agentes, ab impetu hostium defendendos

Deus militares duces, qui iudices audiunt, ad tempus suscitat.

Quae periodus populo electo non erat fausta; finis eius singulari modo pravus evenit, nam temporis decursu memoria praeclare gestorum oblivioni dabatur; Israelitae cum gentilibus versari coeperunt, eorum filias uxores ducebant, mores relaxabantur; quinimo cultus Jahve saepe locum cessit idolis Baal, Astarte, Moloch. Scandalum usque ad sanctuarium cum filiis summi sacerdotis Heli pervenit. (1 Sam. 2, 17)

Scriptura sacra, tristem statum deplorans, causam eius partim in absentia regiminis centralis videt: „In diebus illis non erat rex in Israel" (Jud. 17, 6; 21, 24).

Providentia illa funesta periodo lapsus moralis et religionis educat Samuelem, qui mirabiliter vocatus, postea per prudentiam ac vitam sanctam ordinem notabiliter invexit et viam regiae potestati praeparavit.

Saul, asinas quaerens per accidens venit ad Samuelem, quem Deus regem statuere iubet (1 Sam. 9.)

Initium regni erat duntaxat adumbratio illius magni, quod potentiam ac gloriam Hebraeorum ad summum gradum evexit elevavit.

Sed infidelis Dei mandato Saul eliminatur, et Samuel Bethlehemi unxit Davidem, in quo tribus Juda sceptrum regium adepta est; tali modo pars prophetiae Jacobi de Messia adimpletur (Gen. 49,10)

Regnum Davidis celebre est per expugnationes et cultus religiosi ordinationem. David cepit munitissimam arcem Jebusaeorum: Jerusalem, locum Redemptionis futurae, eamque capitalem fecit; dominium Israelitarum a Nilo usque ad Euphratem extendit. Ex altera parte liturgiam in ordinem disponit et per psalmos messianos insigne lumen de futuro Messia attulit.

Sub pacifico rege Salomone populus electus culturam potentiae consequitur.

Attamen versus finem regni Salomonis, quum populus murmurans aegre ferret magna tributa ad splendorem orientalem sustentandum, luxus regem effeminavit, voluptas cor corrupit et Salomon idolis altaria aedificavit.

Post mortem Salomonis schisma divisit

populum electum in duo regna, septentrionale Israel cum decem tribibus schismaticis et meridionale Juda ad duas reductum.

Bella interna, crimina, homicidia incipiunt.

Corruptio et impietas utrumque regnum affecit, meridionale tamen contra religioso Hierosolymitanum, serius et minus depravatum est.

Illo tristi relate ad ideam messianam tempore prophetae opus Dei tuentur.

Cum hisce nova gravis periodus in evolvenda idea fundamentali V. T. incipit. Nullo alio tempore tam copiosum lumen circa Messiam apparet, quam his quatuor saeculis fere universalis lapsus.

Prophetae, viri Dei, primo erant custodes theocratiae; contra impietatem coevorum luctabantur, peccata eorum impugnabant, et poenam annuntiabant; tali facto Legis observationem promovebant; sed secundo, munus praecipuum prophetarum erat messianum, nam videntes fuerunt: De Messia quasi eum cognovissent et propriis oculis vidissent, loquuntur. Usque ad periodum regum imago Messiae praedicti erat sequens: a) Messias veniet b) ex posteris Abraham c) ex tribu Juda post summam

potestatem ablatam d) erit propheta magnus, Dei nomine locuturus (Dt. 18,18). Prophetae antiquas promissiones, populo electo datas, continuant.

Pluribus saeculis ante adventum Messiae annuntiant: a) tempus, quo venturus sit, b) originem eius, c) vitae adiuncta atque munera Redemptoris, d) finem vitae Messiae, e) regnum eius toto orbe diffusum.

α) Senex patriarcha Jacob in universum duntaxat tempus adventus futuri Redemptoris indicavit. (Gen 49,10.) Propheta Aggeus (VI s.) post captivitatem babylonicam, cum Judaeos ad secundi templi aedificationem continuandam, a Dario Hystaspe iterum permissam, valde pigros videret, ad opus strenue prosequendum eos hisce adhortatus est: „Quia haec dicit Dominus exercituum: adhuc unum modicum est....." Agg. 2,7-10, videlicet adventum Messiae templo hoc existente fore annuntiat.[1]

Malachias propheta (V s.) idem praedixit (3,1).

Ambo summatim quidem tempus Messiae praedicant, Daniel autem, quinque saeculis ante Redemptorem annos usque ad adventum in celeberrima prophetia „Septuaginta hebdomades" accurate numerat[2] (Dan 9,24-27).

1) Fuse cf. Ottiger. Theologia fundamentalis. I, pp. 593-601.
2) cf. ibidem pp. 568 ss.; 685-709.

b) Quod originem et nativitatem spectat, Messias α) ex stirpe David oriundus est, ut Isaias propheta (VIII s.) praenuntiavit: „Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini...." 11, 1 ss.

Idem Jeremias (VII-VI s) praedixit: „Ecce dies veniet, dicit Dominus: et suscitabo David germen iustum et regnabit rex...." 23, 5 ss.[1]

β) in oppido Bethlehem nasciturus est, prout Michaeas propheta (VIII s) indicavit[2] (5, 2.)

c) respectu vitae, qualitatum ac munerum Redemptoris sequentia a prophetis praedicta sunt.

Isaias salutat virginem, quae concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emmanuel (7, 14). Psalmista magos animadvertit (Ps. 71, 10).

Porro Isaias summe mitem, placidum ac modestum Messiam annuntiat: „Non clamabit, neque accipiet personam nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret et linum fumigans non extinguet...." 42, 2-4.

Quinimo Messias ut princeps pacis saepius a prophetis describitur, v. g. Isaias in regno messiano nullas inimicitias fore figurato sermone praedixit:

1) cf. ibidem, p. 542.
2. Ibidem pp. 651 ss.

Idea fundament V. T.

„Habitabit lupus cum agno et pardus cum haedo accubabit…" 11, 6 ss.

Maxima autem omnium qualitatum Redemptoris est, quod ipse est Deus. Quae proprietas multis V. T.ⁱ locis probari potest; brevitatis causa exempla solummodo adducimus, quae ad hanc veritatem demonstrandam sufficiunt. Ita Messiae Divinitas praenuntiatur ab eodem Isaia propheta, qui postquam praedicit fore, ut terra Zabulon et Nephtali sive posterior Galilaea, antea vilis habita, magnopere honoretur, eo quod lux magna in ea oritura sit, explicans, cuius ope illud eventurum sit, subiungit: „Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius: et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis." 9, 6.

Messiae divinitatem asserit etiam Michaeas in textu supra laudato: „Et tu Bethlehem Ephrata… et egressus eius ab initio a diebus aeternitatis." 5, 2; hic existentia aeterna ideoque vera divinitas affirmatur.

Ad Messiae munera quod attinet, primo, potestate legislatoris praeditus erit, quod ex Isaia 42, 1-7 perhibetur: „Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi

spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet... et legem eius insulae expectabunt... Et dedi te in foedus populi, in lucem gentium: ut aperires oculos caecorum et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris!" Igitur Deus hoc loco loquitur manifeste de homine sibi omnino devoto, quem ipse prae ceteris elegerit, amaverit atque divinis donis cumulaverit, ut gentibus et iis quidem valde a Palaestina remotis, iis divinum divinamque legem manifestet, utpote sit in foedus populi sive Israelitarum, et simul in lucem gentium, i.e. ut novum foedus cum Israelitis sanciat, gentes vero unius veri Dei cognitionem veramque religionem docendo collustret, atque ita errantes ex ignorantiae religiosae tenebris atque miseriis ad veritatis aeternaeque salutis regnum perducat.

Iam vero hic Dei servus est expectatus Messias, ut futurus novae legis auctor [1]

Secundo, Messias erit rex spiritualis. Maximus rex futurus praedicitur in Ps. 2, 6, ubi legitur: „Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius" [2]

---

1) Ottiger op. c. p. 528-529.

2) In textu hebr.: „Ego autem constitui regem meum super Sion montem sanctum meum" seu Deum porro loquentem exhibet. Sensus utriusque lectionis est idem.

Jam rex ille alius intelligi nequit, quam Messias, ut v. 8ᵘˢ luculenter indicat: „Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.

Praeterea idem eruitur ex ps. 71., in quo celebratur rex magnus atque sempiternus, princeps iustitiae et pacis ac pauperum amicus, cui se sponte subiciant reges et nationes totius orbis terrarum magnaque fortuna ac pace fruantur.

Etiam idem sequitur ex supra citato textu Jeremiae prophetae: „Ecce dies veniunt... et regnabit rex et sapiens erit" Jer. 23, 5 ss.

Hic rex certo spiritualis erit, quod patet ex amplitudine eius regni, ex duratione (ps. 2 et 71.) atque ex qualitatibus regis Messiae, uti principis pacis, lucis omnium gentium, auctoris novae legis etc.

In aliis locis sacerdotium huius regis describitur, v. g. ps. 109, 4.

d) Quod ad finem vitae Messiae spectat, e Danielis vaticinio certum est fore, ut Messias occidatur. Verum non solum ipsam violentam mortem, sed etiam singula adiuncta passionis prophetae praedixerunt. Ita Zacharias asinam et pullum asinae ad solemnem ingressum in Urbem: 9, 9;

Isaias alaphas et illusiones: 50, 6; psalmista fel et acetum in cruce porrecta: ps. 68, 22; pariter manus et pedes transfixos: ps. 21, 17 et sortem super vestem missam: ps. 21, 19 praecinuit; Isaias sepulcrum gloriosum videt: 11, 10.

Huiusmodi et etiam alia plura mortis adiuncta praecipue in 21° psalmo et apud Isaiam 52, 13-53, 12 praemonstrata sunt.

e) Denique prophetae regnum Messiae toto orbe diffusum praenuntiaverunt. Sic e.g. Isaias conversionem gentium praevidit in celeberrimo oraculo: „Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium... et fluent ad eum omnes gentes et ibunt populi multi....” Is. 2, 2-4, vel psaltes: „Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum... et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei!” Ps. 71, 8-11. etc. e. p.

Malachias tandem novum cultum cum perenni sacrificio in regno Messiae, toto orbe terrarum exhibendum annuntiat 1, 10-11.

Ex hisce ~~omnibus~~ exemplis satis patet minutissima singula adiuncta de futuro Messia prophetis revelata fuisse.

Si unus solus propheta aliquot annis ante eventus anticipatam biographiam Messiae

tam accurate scripsisset, hoc esset reapse mirabile. Attamen plures eorum, decursu multorum saeculorum, absque contradictione inter se, praedixerunt et quidem ultimus non ante aliquot annos, sed quatuor saecula antehac quasi digito praecursorem Messiae indicans (Mal. 3,1) conticuit.

Igitur prophetarum periodus copiosissimum lumen ad ideam messianam evolvendam praestitit.

Ultimus gradus ideae fundamentalis V. T. illustrandus remanet.

Populus electus, prout vidimus, fuit dumtaxat instrumentum in manu Dei ad opus Redemptionis perficiendum, quod instrumentum erat maturum, sufficienter paratum. Deus populum suum disperget toto orbe cognito ad promissiones messianas in regiones paganismo obnubilatas portandas.

Magna incursio a rege Assyriae Salmanassaro IV facta est et regnum Israel in captivitatem ducitur.

Post centum triginta quatuor annos maior impetus ab hostibus sequitur; regnum Juda a Nabuchodonosore, rege Babyloniae, devictum est atque Hebraei meridionales in captivitatem deportantur.

Hi tristes eventus, quos prophetae Samariae et Sion minati erant, animos reorum multum depresserunt; Hebraei culpas suas sincere deplorant, cuius

documentum in Lamentationibus Jeremiae habemus.

Attamen non omnes in captivitatem deducti sunt, sed multi post expugnationem Samariae et Hierosolymarum in Aegyptum, in Asiam minorem fugiunt, ubi colonias Hebraeorum condunt.

Israelitae dispersi viam ad adventum Messiae inter gentes praeparant, nam captivi et coloni libros sacros, cultum divinum, promissiones messianas secum portant; inter tristes eventus patriae consolationem quaerunt loquendo, disputando de persona et regno Messiae; historiam suam narrant, cantica sacra cantant; oracula prophetarum gentibus ostendunt; postea Scripturam sacram in communiter notam linguam graecam vertunt; tali pacto ideas messianas ubique inter gentes dispergunt.

Post captivitatem Judaei a summis sacerdotibus sub imperio Persarum, Aegypti, Syriae, Graecorum atque Romanorum reguntur. Qua periodo cum externo influxu, praecipue cum hellenismo pugnant. Cultura Graecorum, ab Alexandro Magno praedominans, populo electo erat periculosa. Hebraei diasporae, praesertim in maioribus urbibus, v. g. Alexandriae degentes, per scholas et conditiones sociales proxime cum gentilibus versantur. Ideo Libri Sapientiae et Ecclesiastes contra ideas et mores helle-

nismū praenuntiant. Palaestinenses autem circa centrum religiosum fortiter resistunt; unde persecutio eorum potissimum ab Antiocho Epiphanio (175-164) instituta est, quae tamen heroicam rebellionem in familia Machabaeorum (166-63) effecit.

Qua periodo independentiae politicae et instaurationis religiosae Judaei studio Legis assidue operam dabant.

Sed sexagesimus tertius annus populo electo fuit funestus, Pompeius enim Urbem sanctam expugnavit et postea Herodes gentilis solium regium adeptus est.

Ex altera parte, philosophia pagana tunc temporis extrema lassitudine ac desperatione animos afficere coepit; excessus immorales summam perversitatem adferunt, quod praeter auctores graecos et latinos aulae secretae museorum antiquitatis probant v. g. picturae in parietibus effossae Pompeiae.

Apud Hebraeos autem sectae religiosae Pharisaeorum et Sadducaeorum, sibi adversariae, per subtilem casuisticam sensum iudaismi pariter depravant atque populum seducunt.

In medio hujus corruptionis omnimodae necessitas supremae perfectionis sentiebatur et exoptabatur. „Plenitudo temporis" appropinquebat. Quum mundus fatigatus sub dominio Augusti requiescere posset, promissus Messias evenit, „expectatio gentium" Gen. 49,10, prout v. g. Tacitus, Suetonius, Cicero[1], Virgilius[2] aliique gentiles scriptores comprobant. Ita Tacitus scribit: „Pluribus persuasio inerat sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens profectique Judaea rerum potirentur." (Hist., l. V, c. XIII.); Suetonius sequentia dicit: „Percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur" (Vita Vespas. XXI).

Attentio undequaque in Judaeam conversa est.

Ad adventum itaque praedicti Redemptoris omnia parata erant, nam et sceptrum a Juda ereptum (Gen. 49,10) gentili Idumaeo Herodi collatum est.

---

1) De republic. L. III
2) Bucolica. Eccl. IV, 4-10.

Professor: A. P. Grigaitis.

Hebraei in Aegypto.

1. Tempus Exodi Hebraeorum.[1]

Post mortem patriarchae Joseph reges Pastores, Israelitis benevoli, a nova indigena dynastia Thebaica paulatim sunt expulsi. Persecutio advenarum Hebraeorum instituta est; postea exodus ex Aegypto posterorum Jacob Moyse duce sequitur.

Multi eventus, qui exodum praecesserant atque exceperant, neocriticis plures difficultates comprehendunt. Schola Reuss et Wellhausen multa facta, in quattuor posterioribus Libris Pentateuchi enarrata, impugnat, utpote non historica.

Itaque saltem praecipua breviter vindicanda suscipimus et quidem primo tempus eventuum libri Exodi in historia stabiliendum est, deinde unum alterumve in lumine historiae examinandum est.

1) Cf. Mallon. In encycl.: Diction. apolog. par A. D'Alès 1910, c.c. 1309-1317.

ТИП. ЛИТ. Я. РАШКОВА. С. П. Б.

Difficultas statim a limine offertur, videlicet, Moyses nullum pharaonem, neque oppressorem, neque auctorem exodi proprio nomine appellat, quod ex parte scriptoris coaevi insolitum esse videtur.

Sed haec difficultas dumtaxat primo obtutu adest. Titulo tantum generali „pharao" adhibito Moyses plane concordat cum consuetudine temporis, prout ex documentis papyracaeis apparet, in quibus reges Aegypti eodem modo nominantur. Ita Loret in op.: „L'Egypte au temps des Pharaons", 1889, p. 18 sequentia scribit[1]: „Ce fut surtout au temps des Ramsès, quand le peuple d'Israel était prisonnier en Egypte, que ces mots per âa (Pharaon) servirent à denommer le roi du Delta et de la Thébaide....... Lorsque nous donnons aujourd'hui à Ramsès le nom de Pharaon, nous employons l'expression même dont se servaient ses contemporains pour le designer."

Igitur nomen proprium pharaonis periodo Exodi tam ex Scriptura Sacra, quam ex documentis historicis est ignotum, quapropter saltem tempus eventuum determinandum atque nomen probabile indicandum est.

Duae praecipuae opiniones dantur, quarum al-

1) Ibidem, c. 1310.

tera antiquior persecutionem et exodum Hebraeorum sub 19a dynastia cum praecipuo oppressore Ramse II et auctore Exodi Menephtah assignat; altera autem, recentissimis effossionibus munita, illos eventus 18ae dynastiae cum praecipuo persecutore Thutmosi III et auctore Exodi Amenophi II adscribit.

Antequam utramque perpendamus, breves historicas notitias[1] ad quaestionem intelligendam praemittamus oportet. Recentiores historici, Manethonem[2] secuti, communiter 31 dynastias aegyptias inde a primis initiis usque ad Alexandrum Macedonem numerant, quas plerique ita distribuunt, ut decem priores regnum vetus (circa 3200-2200 a. Ch.), septem sequentes (11-17) regnum medium (c. 2200-1600 a. Ch.), quatuordecim posteriores (18-31) regnum novum (c. 1600-332 a. Ch.) appellent. Alii aliter distribuunt.

Dynastiae non omnes sibi successisse, sed aliquae cum aliis simul in diversis Aegypti partibus regnasse videntur, atque ex hac aliisque causis chro-

1) Cf. Fonck in Lex. bibl. Hagen I c.c. 136-139
2) Manetho, sacerdos Heliopolitanus in Aegypto, qui saeculo III ante Christum natum, inspectis templorum archivis, historiam dynastiarum aegyptiacarum usque ad Alexandrum Magnum scripsit. Huius operis fragmenta apud Iosephum Flavium (contra Apionem) et Eusebium (Chronicon) exstant. (cf. Zschokke. Historia a. T.5 p. 5.)

nologia aegyptiaca regni veteris ac medii satis incerta, imo etiam in regno novo usque ad aetatem regis Psammetichi I (663 a. Ch.) multis dubiis obnoxia manet. Prima dynastia a This prope Abydos in Aegypto superiore originem duxisse narratur, primusque eius rex Menes non post annum 3200 a. Ch. vixisse a plerisque cum E. Meyer merito supponitur; sepulcra ipsius aliorumque primorum regum et monumentum nomine regio Mene insignitum in ruinis abydenis ultimis hisce annis detecta sunt. Ex sequentibus dynastiis quarta specialem mentionem meretur, ex qua reges Snofru in Medum, Cheops, Chefren, Mencheres apud Gizeh celeberrima pyramidarum monumenta erexerunt. (circa a. 2800 a. Ch.)

Tempore regni medii praesertim sub regibus dynastiae 12ae (c. 2100 a. Ch.) Aegyptus florentissimis rebus publicis gloriabatur. Probabiliter ea fere aetate Abraham cum Sarai uxore in Aegyptum descendit. (Gen. 12, 10 sq.) De aliis regni medii dynastiis, sub quibus filios Israel in Aegypto habitasse ex Scriptura sacra supponendum est, historia pauca tradit. Constat quidem partem illorum regum, qui Hyksos i. e. duces nomadum arabum vel reges pastores vocentur

et dynastiae 15 et 16 adscribantur, ex Asia in Aegyptum invasisse regnumque saltem septentrionale cum urbe regia Tanis per duo vel tria saecula occupasse, eosque Semitas Israelitis affines fuisse verisimile est; ipsos benignos erga filios Israel fuisse merito supponitur.

Legitimi vero principes aegyptii, praesertim dynastiae 17ae, Thebis in Aegypto superiore profecti, ubi inde iam a dynastia 12 principalis regni sedes fuerat, diuturnis bellis invasores Asiatas aggressi sunt ac denique reges pastores feliciter expulerunt. Successerunt principes dynastiae 18ae, plerique nomine Thutmosis vel Amenophis appellati, qui fere a medio saeculo decimo sexto ad circiter decimum quartum regnarunt, ex quibus plures rebus domi belique praeclare gestis celebres sunt. Hi sunt ex dyn. 18a:[1]

	Secundum Steindorff:	Secundum Flinders Petrie:
Thutmosis I, Makere, Thutmosis II, Thutmosis III	1545 - 1461	1541 - 1481
Amenophis II	1461 - 1436	1481 - 1449
Thutmosis IV	1436 - 1427	1449 - 1423
Amenophis III	1427 - 1392	1423 - 1414
Amenophis IV	1392 - 1374	1414 - 1383

1) Mallon. Ibidem, c. 1311.

Utrum sub hisce oppressio et exodus Hebraeorum fuerit, cf. infra. De duobus ultimis 18ae dynastiae pharaonibus Amenophi III et IV plura conservata sunt in litteris cuneiformibus in Tell-el-Amarna a. 1888° inventis, in quibus praeter alia etiam de statu Palaestinae atque invasione in eam a gente Chabiri facta multa narrantur (cf. infra)

Sub pharaonibus dynastiae 19ae Aegyptus optimo rerum statu domi fruebatur et bellicis expeditionibus feliciter peractis Libyes et Asiatas hostes reprimebat. Sed brevi post sub externo alienigenarum imperio a dynastia 21a gloria et opes Aegyptiorum paulatim dilabebantur. Hi sunt pharaones ex dyn. 19a:[1]

	Secundum Steindorff:		Secundum Flinders Petrie:
Ramses I	1350		1328 - 1326
Seti I			1326 - 1300
Ramses II	1324 - 1258		1300 - 1234
Menephtah	1258 -		1234 - 1214
Seti II	-	1250	1214 - 1209.

A. Itaque prima opinio eventus Exodi dynastiae 19ae pharaonum attribuit.

a) Huius theoriae propugnatores indicium chrono-

1) Ibidem, c. 1311.

logicum, a quo cetera computant, sumunt adventum patriarchae Joseph in Aegyptum, quem sub 16ª dynastia regum Pastorum, circa 1650 a. accidisse affirmant. Commorationem Hebraeorum in Aegypto 430 annos (Exod. 12,40 sec. textum masoret. et Vulgatam) supponentes, exodum eorum circa 1230 a. seu post Ramsen II, sub pharaone Menephtah stabiliunt.

Attamen animadvertendum est pharaonem Josephi patriarchae esse ignotum atque tempus habitationis Israelitarum in Aegypto pariter difficultates comprehendere.

b) Ramses II imaginem oppressionis, prout Scriptura sacra describit, exhibet: est enim fortis bellator atque constructor plurimum monumentorum; eius ornamenta in omnibus ruinis inferioris Aegypti occurrunt.

Sed ex altera parte nomen Ramses II apparens fere in omnibus monumentis Aegypti deprehenditur, quae ille solus certe non aedificaverat; horraea autem frumentaria in regione Gessen iam sub 18ª dynastia construebantur, prout historicus Maspero observat.

c) Haec opinio nitebatur potissimum nomini urbis: Ramses (Exod. 1,11), ab Israelitis oppressis aedificatae,

unde conclusio sequebatur eam a pharaone eodem nomine conditam esse; atqui nomen Ramses ante 19am dynastiam in historia Aegypti est ignotum; per consequens eventus l. Exodi ad 19am dynastiam remittendi sunt. Attamen auctoritatem huius argumenti minuit mentio eiusdem nominis in l. Genesis 47,11. ubi dicitur pharao familiae Iacob regionem Ramses dedisse. Forsitan ibi hagiographus nomen usitatum tempore ultimae redactionis Libri adhibuit. Quidquid est, sed nomen Ramses peremptorium argumentum non constituit, non solum in 19am sed etiam 18am dynastiam quadrare potest.

Hanc coniecturam de eventibus Exodi sub 19a dynastia ex recentioribus propugnant: v.g. Brugsch. Geschichte Aegyptens. 1877. p. 581-584; Ebers. Durch Gosen zum Sinai 1872, p. 139; Vigouroux. La Bible et les decouvertes modernes, II p. 288 ss.; Pelt. Histoire de l'ancien Testament I pp. 207-208; Flinders Petrie. Egypt and Israel in Contemporary Rewiew 1896, p.p. 617-627; Sayce. The Egypt of the Hebrew 1902, pp. 91-100; Spiegelberg. Der Aufenthalt Israels in Aegypten. 1904, p. 13 et multi alii eruditi Germani, Galli, Angli.

B. Altera theoria eventus Exodi sub 18a dynastia assignat, cuius argumenta sunt sequentia:

a) Indicia biblica. Fautores huius opinionis certam notam chronologicam ad periodum oppressionis determinandam indicant initium aedificationis templi Hierosolymitani quarto anno regis Salomonis, i. e. 958° vel 957° ante ch. (Ios. Flavii. Antiq. iud. VIII, III, 1 et contra Apionem 1, 17). Porro Hebraei ex Aegypto exierunt 480 annis ante aedificationem templi Salomonici (3 Reg. 6, 1; LXX habent 440), quod 957+480=1437 efficit.

Ex altera parte hic 1437us annus dynastiae 18ae pharaonum, in specie Amenophi II° congruit. Quum autem Moyses pharaonem adiisset, octoginta annis erat (Exod. 7, 7); sub eius nativitate persecutio atrox saeviebat, nam infans aquae Nili expositus erat; rotundo numero saltem viginti annos oppressionis iam duratis supposito, totum saeculum obtinemus; exinde persecutio Israelitarum approximative circa a. 1537 seu circiter medio decimo sexto saeculo incoepit, i. e. probabiliter initio dynastiae 18ae, quae crudelis sub longo regno Thutmosis III (circa 40 annos regnavit) evenit atque tali

pacto exodus sub Amenophi II accidit. Hebraei tandem in terram Chanaan quadraginta annis post seu sub Amenophi III immigraverunt; quum autem illa indicia chronologica non omnia stricte accurata sint, adventus Hebraeorum etiam sub Amenophi IV reponi potest. Quae coniectura textibus l. Exodi confirmari videtur: „Surrexit interea rex novus super Aegyptum, qui ignorabat Ioseph" Ex. 1,8. Haec verba notabilem mutationem in rebus politicis Aegypti manifestant et expulsionem regum pastorum, Israelitarum protectorum, statim innuunt; quod certe non subito factum est, sed diuturnis bellis invasores Asiatae paulatim devicti sunt et post ultimam arcem Avaris expugnatam expulsi sunt. Tum indigenae principes Thebis ex Aegypto superiore profecti imperium in totam regionem extenderunt, simul tamen omnia media ad dominium internum obfirmandum adhiberent oportebat, quapropter attentio novorum pharaonum in numerosos advenas provinciae Gessen directa est, prout Scriptura sacra comprobat: „Ecce populus filiorum Israel multus et fortior nobis est; venite sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicentur, et si in-

gruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris expugnatisque nobis egrediatur de terra." Ex. 1, 9-10. Quod reapse in recentem expulsionem pharaonum Hyksos bene quadrat, unde periculum adhuc imminebat, ne advenae praevalerent; historice autem minus bene 19ae dynastiae congruit, quum aegyptus iam potens bellicis expeditionibus Libyos et Asiatas fortiter reprimeret.

Ipsa chronologia aliunde nota pariter huic opinioni favet, vdl. 430 anni commorationis Hebraeorum in Aegypto additi ad 1437 constituunt 1867; quum autem inter Abraham et Joseph circiter ducenti anni intercedant, tempus Abrahae circa 2050 a. ante Ch. assignandum est, quod reapse ex assyriologia de Hammurabi, coaevo Abrahae sequitur.

Quoad ipsam oppressionem Israelitarum versus sequens l. Exodi dicit: „praeposuit itaque eis (pharao) magistros operum, ut affligerent eos oneribus; aedificaveruntque urbes tabernaculorum[1] Pharaoni Phithom et Ramesses" Ex. 1,11. Itaque onus laboris secundum Scripturam sacram in lateribus conficiendis ad horraea publica aedificanda consistebat. Ex. 5,7. Quae circumstantia ope archaeologiae

1) i.e. horraeorum seu subsidiorum frumentariorum.

aegyptiacae historice confirmatur.

Pithom, aegyptiace „pi-tum" designat habitaculum dei Tum, caput provinciae Thuku seu Socoth erat (Ex 12,37). Archaeologus E. Naville (Helv.) a. 1883 per effossiones demonstravit illud fuisse eo loco, ubi nunc est tell „el-Maschuta, nempe in valle Tumilat versus occidentem ab Ismailia. Naville ibi invenit templum antiquum deo Tum dedicatum, unde loci nomen originem ducit; insuper animadvertit illud templum muro e lateribus facto, quasi arce, circumdatum esse; in spatio autem inter murum et templum horraea ad frumentum recipiendum constructa fuisse. Fragmenta horum aedificiorum, solide factorum, quorum muri saltem duo metra lati fuerant, excavavit.

Quod urbem Ramses attinet, certo modo nondum recognita est. Alii, v.g. Hummelauer[1] fuisse urbem capitalem Tanis (Zoan) affirmant; alii iure merito urbem Tanis a regione Gessen nimis distare opinantur et pro Ramses ruinas tell „Rotab in medio valle Tumilat indicant; recentes exploratores (1906), a Flinders Petrie ibi factae patefecerunt ruinas templorum, murorum e lateribus constructorum, sed nomen Ramses in his ruinis non est repertum.

1) Commen. in Exod., p. 33.

Attamen certum est secundum peritissimum aegyptologiae Maspero (Histoire ancienne des peuples de l'Orient[8] p. 243 ss.), pharaones 18ae dynastiae magnas aedificationes in inferiore Aegypto fecisse; igitur tanquam oppressores historice verisimiles sunt, quod imago prope Thebas inventa ex regno Thutmosis III confirmat, videlicet, illa alienigenas Asiatas exactoribus vigilantibus lateres in singulis phasibus conficientes ad templum deo Amon construendum repraesentat. Eodem modo Israelitae circa Pithom et Ramses operati sunt.

b) Traditio

Traditio a Josepho Flavio (Contra Apionem 1,26) et a Manethone (Ap. Ios. Fl., l.c.) conservata Moysen atque Exodum sub dynastia 18a locum habuisse refert. Narratio Manethonis quoad substantiam est sequens: Amenophis pharao a diis admonitus, regionem universam de leprosis et immundis hominibus purgare vult; omnes itaque corporis aliqua iniuria affectos congregare iubet; quae multitudo ad octoginta millia attingit; eos ad lapicidinas in partem Nili orientalem mittit; postea urbem nomine Avaris, quae a tempore Pastorum deserta erat, eis concedit. At illi ducem sibi Osarsiphum

quendam Heliopolitanorum pontificum, qui nomen in Moysen mutavit, constituunt et huic se in omnibus obtemperaturos iurant. Qui legatos ad Pastores, in Palaestina viventes, auxilii causa mittit; tum illis iuncti Aegypto potiuntur ac regionem depopulantur; Amenophis vero in Aethiopiam fugit, sed mox cum filio Ramse et potenti exercitu revertitur, Pastores et impuros aggreditur, eos fugat et usque ad limites Syriae persequitur.

In qua narratione sunt quidem elementa fabulosa, sed veritas historica non in omnibus est denegenda. Utrum Manetho, qui sub Ptolomaeo II Philadelpho (285-247) scribebat, Moysen noverit ex annalibus aegyptiis aut ex Litteris sacris, quas tunc temporis Septuaginta Interpretes Alexandriae vertebant, aut a Iudaeis colonistis, difficile est solvendi, sed circumstantia, quod Moysen cum Pharaone Amenophi et non alio iunxit, rationem supponit, quae probabiliter traditionis fontem prodit.

Equidem Iosephus Flavius, totum textum Manethonis adducens, historicum aegyptium de falso nomine pharaonis consulto adiecto accusat, sed in hoc Ios. Flavius duntaxat scopum suum

Moysen a regibus Pastoribus omnino separandi manifestat.

c) Chabiri in tabulis Amarnensibus.

Si Hebraei ex Aegypto circa 1437-a. sub pharaone Amenophi II profecti erant, in Palaestinam post 40 annos vicissitudinum in deserto, i. e. circa 1397 a. sub Amenophi III pervenerunt. Illo tempore litterae gubernatorum urbium maiorum Canaan, sub dominio Aegypti existentis, pharaoni (Amenophi III aut IV) invasionem ab extera gente nomine Chabiri factam annuntiant. In specie gubernator urbis Ierusalem Abdchiba auxilium contra illos hostes a pharaone instanter petit: „Quare amas Chabiri et odio habes gubernatores?„ Terra regis est perdita, si me non exaudis; omnes gubernatores perierunt, rex nullos gubernatores habet. Utinam rex faciem ad eos convertat! Utinam rex, dominus meus, milites auxiliarios mittat! Rex non amplius terram possidet; Chabiri agros regis depopulantur..... Si milites auxiliarii desunt, terra regis ad Chabiri transit." (H. Winckler. Die Thontafeln von Tell-el-Amarna, Berlin, 1896, p. 303-313; ibidem, c. 1313-1314).

In tabulis Amarnensibus itaque multoties fit mentio gentis Chabiri. In origine eorum determinanda Hebraei in mentem veniunt. Reapse philologice inter duo nomina affinitas adest, scilicet, Chabiri - עִבְרִי, hebr. ע assyriace saepe ope ch redditur.

Alias rationes quod attinet, historici non conveniunt. Quidquid est, identificatio tamen est possibilis, nam si Chabiri regionem Canaan expugnavissent, ut ex tabulis Amarnensibus sequitur, ab Hebraeis Terram Promissam occupantibus devincendi essent; inter exnumeratos inimicos Israelitarum illi non nominantur. Igitur si ipsi Hebraei non essent, vestigia quaedam reliquissent.

d) Inscriptio pharaonis Menephtah.[1]

Archaeologus Flinders Petrie 1895 a. prope Thebas invenit stelam, quae hodie in museo Cairi asservatur; monumentum longam inscriptionem, vel. hymnum triumphalem in duas partes divisum, exhibet. Prima pars victoriam a Menephtah, quinto anno regni ex Libiis, hostibus occidentalibus, reportatam poetice narrat; secunda brevior pars de dominatu Aegypti in gentes septentrionales docet. Textus a. v. v. 26-28 nostram quaestionem respiciens in ver-

[1] Fusius cf. Revue biblique, 1899, pp. 267-277.

sione sonat: „Principes in terram prostrati te salutant et nemo inter nomades frontem superbe portat. Tihonu est devastatum, Kheta pace fruitur, Canaan omni malo circumvenitur, Ascalon est abductum, Ghezer captum, Iamnia eversa, Israel est deletus, semen ei non amplius remansit, Syria similis est viduae Aegypti…"

Haec itaque altera pars inscriptionis gentes viventes in Palaestina et Syria enumerat; mentio expressa Israelis (Isiraalu) et quidem geographice recto loco, prope Ascalon, Ghezer, Iamnia adest. Igitur tempore pharaonis Menephtah Israelitae iam in Palaestina habitabant; quod authenticum documentum coniecturam de opressione et exodo Hebraeorum sub 18ª dynastia pharaonum comprobat.

Hanc opinionem ex recentioribus defendunt: Hommel (Expository Times X p. 210 ss.) L. Fonck S.J. (Zeitschr. für kath. Theolog. 1899, pp. 273-276; 377-9; Lexicon bibl. Hagen I 138-139); Lehmann (Zwei Hauptprobleme 1898, p. 160); Miketta. Der Pharao des Auszuges. Freiburg, 1903, p. 32; Selbst. Handbuch zur bibl.*

ТИП. ЛИТ. Я. РАШКОВА. С. П Б.

Geschichte, p. 164; Hetzenauer. Theologia biblica I, p. 95, Johann Weiss. Das Buch Exodus „Styria" 1911, p. 89 et alii.

Prima theoria, eventus Exodi sub 19a dynastia assignans, est multo antiquior, quam haec altera; illa proposita est, cum neque Chabiri, neque stela Menephtah nota essent atque magnum nomen Ramsis IIi in totam historiam Aegypti dominaretur, 18a dynastia autem adhuc tenebris involveretur. Praeterea antiquiores historici Aegypti regi Menephtah antiquiorem chronologiam, quam hodierni indicebant, atque tali pacto difficultatem de recentiore exodo evitabant. Novis explorationibus praesentibus altera opinio maiore auctoritate gaudere videtur.

In genere argumenta, quae hucusque possidemus, problema nondum definitive solvunt; tempus Exodi circiter a medio 15o saeculo usque ad medium 13um seu a Pharaone Thutmosi III ad Menephtah assignare permittunt. Illi eventus tamen post pharaonem Menephtah non sunt remittendi; nam documentum, originem ex 8o anno regis Menephtahe ducens, dicit numerosos Semitas ex Asia venientes a pharaone

petiisse atque licentiam obtinuisse sedes in terra Gessen, in regione Socothe, circa arcem Pitum figendi; unde sequitur Hebraeos iam profectos esse.

* *

Conclusio de historica veritate commorationis Hebraeorum in Aegypto.

Excepta mentione Moysis, a Manethone facta, cuius fons est incertus, historia Aegypti adventum, commorationem, exodum, transitum maris Rubri silentio transit. Sed nil est mirum, nam antiqui Babylonii et Aegyptii eventus qui eis dedecori erant, in annalibus omittere solebant; de gloriosis victoriis tantum cum orientali fastu narrabant.

Quamquam itaque positiva documenta in historia Aegypti deficiunt, omnes tamen circumstantiae in libro Exodi descriptae per explorationes Aegypti historica auctoritate gaudent.

Auctor sacer regionem eiusque consuetudines optime novit[1]: regem Aegypti more scriptorum

1) Fusius cf. Mangenot. L'authenticité Mosaique du Pentateuque. Paris 1907. pp. 234 ss.

coevorum nominat, accuratam notitiam geographiae, constructionum e lateribus, phaenomenorum aeris etc. habet; imo in ipso cultu sacro vitulus aureus Apim aegyptium in memoriam revocat; rationale summi sacerdotis, arca foederis cum duobus cherubis (naos Aegypti) nonnulla sacrificia, instrumenta musica etc. origine sunt aegyptiaca.

Quae dependentia externa nos in Aegyptum ducit, quo longam habitationem Israelitarum innuit atque veritatem historicam narratorum in l. Exodi comprobat.

2. Plagae aegyptiacae

Interpretes catholici historiam prodigiorum in Aegypto per Moysen ad populum electum liberandum factorum duplici modo temporis decursu explanabant.

Primus modus in exponenda simpliciter narratione biblica absque investigatione indolis factorum consistebat. Quam rationem aliqui auctores, ignari terrae Aegypti, sequebantur,

videlicet, narrationem libri Exodi evolvebant vel abbreviabant, historiam sacram docentes vel etiam commonitionem moralem fidelibus dantes.

Altera methodus examinat, quae sit indoles decem plagarum Aegypti, videlicet, utrum flagella naturalia, regioni propria, an vero miraculosa fuerint, indagat.

Quae nova ratio rei enarrandae catholico interpreti ob difficultates ab independentibus historicis inventas imposita est. Non obstante attestatione veritatis historicae plagarum per triplex documentum Elohisticum, Jahvisticum, Codicem sacerdotalem, non obstante indole specifica aegyptiaca earum, non obstante convenientia cum phaenomenis naturalibus, multi illi critici eventus plagas respicientes ad fabulas referebant. Secundum eos triplex testimonium facta esse historica non probat, nam fabula bis, ter, centies repetita eo ipso historica non evenit. Redactores iuxta eos forsitan illas fabulas non excogitaverunt, sed ex antiquiore traditione depromserunt, attamen impossibile est hodie primigeniam traditionem Hebraeorum de Exodo

reconstituenti?[1]

Nonnulli alii critici contendunt narrata facta mere naturalia iis veritatis superlationibus, quae in auctore liberationem gentis suae celebrante condonandae sint, i.e. plagas ad facta pure naturalia reducunt, reicientes tamquam „poeticas exaggerationes" quod naturali modo explicari non potest.[2]

Itaque singulas plagas videamus atque indolem earum examinemus oportet.[3]

Alexander Natalis versu mnemotechnico plagas sequenti modo comprehendit:

Prima rubens unda, ranarum plaga secunda,
Inde culex tristis, post musca nocentior istis,
Quinta pecus stravit, anthraces sexta creavit.
Post sequitur grando, post bruchus dente nefando.
Nona tegit solem, primam necat ultima prolem.

---

1) Baentsch. Exodus, Leviticus, Numeri. Gottingen. 1903 p. 57 ss. Renan. Histoire du peuple d'Israel.
2) Ita tenent inter primos Du Boys, Aymé. Notice sur le séjour des Hebreux en Égypte, in opere: Description de l'Égypte I, 307 ss. (ap. Hummelauer. Comm. in Exodum et Levit., p. 83-84), Eichhorn et alii.
3) Fons praecipuus est Hummelauer Op. c.

Prima plaga: aqua in sanguinem conversa. Ex. 7, 14-24.

Jussu Domini Moyses et Aaron mane ad ripam Nili steterunt, quo pharao veniebat, ut fluvium ab Aegyptiis in numero deorum habitum veneraretur. Elevans autem Aaron virgam coram pharaone et servis eius aquam fluminis percussit atque aqua Nili et canalium et paludum ceterorumque aquae receptaculorum in sanguinem versa est. Pisces mortui sunt et aqua computruit neque bibi potuit, quare Aegyptii per circuitum Nili puteos foderunt, ut aquam potabilem invenirent. Sed magi arcanis incantationibus suis in aliis quibusdam aquis similiter fecerunt. Quapropter cor pharaonis induratum est neque Hebraeos dimisit1)

Primo secundum usum loquendi biblicum non est necesse, ut aquam in verum sanguinem conversam asseramus, cf. Joel 2, 31; Apoc. 6, 12; sufficit concedere aquam ita mutatam et corruptam esse, ut sanguis appareret et hominibus ac piscibus

1) Hetzenauer. Theologia bibl., p. 98.

noxia evaderet. Neque satis grave est argumentum Patres aegyptios, qui rubescentes Aegypti aquas bene noverint, nihilominus loqui de aquis in sanguinem mutatis. Ita Origenes (Hom. in Ex: M. 12, 317 ss), Athanasius (Synopsis Scr. 1.: M. 28, 297), Cyrillus Alex. (Glaphyr. in Ex. II, 4: M. 69, 477). Hi et alii praeter Origenem omnes de hac plaga loquuntur per transennam neque eam explicare ullo nomine attentant[1]

Ad illud phaenomenon aliaque intelligenda sequentia observanda sunt[2]

Aegyptii a die circiter 20 Julii ordiebantur annum, cuius tria numerabant tempora: ad diem circiter 20am Novembris tempus, cui nomen inundatio; ad diem circiter 20am Martii tempus alterum germinationis segetis, inde ad sequentem 20am Julii tempus messis.

Nilus ob imbres tropicos mense Februario in regionem magnorum lacuum paulatim se praecipitat versus meridiem; circa finem Aprilis aquae currentes attingunt Khartum et 30 centim. supra consuetum aequor elevatur; porro Nilus lente per Nubiam fluit atque initio

1) Hummel. Op. c. p. 84.
2) Ibidem.

Iunii in Aegyptum excurrit.[1]

Incipiente fere Iulio mense nivibus liquescentibus in Abyssinia adhuc auctae aquae tam fluminis, quam canalium turbantur, viridescunt, foetorem edunt, vermibus scatent, bibentibus acerbos dolores causant. Coloris viridis rationem periti assignant materiam e paludibus Aethiopiae advectam et fragmenta plantarum, quae aquae currentes secum trahunt.

Insalubris viridis Nilus feliciter brevi tempore durat. Post aliquos dies aquae transeunt in colorem sanguineum et iterum potabiles eveniunt. Colorem hunc exploratores repetunt ex humo et flumine aliquo Aethiopiae advecta, alii probabilius ex animalculis quibusdam infusoriis. Verum materia illum colorem sanguineum continens subsidet in campis superioris Aegypti, ut color ille sanguineus in Aegypto media et inferiore haud observetur.[2]

Hoc consuetum phaenomenon Nili primae plagae utique est affine, attamen modo insueto

---

1) Maspero. Histoire ancienne des peuples de l'Orient classique Paris Hachette, 90 fr., I p. 22.
2) Vigouroux. La Bible et les découvertes modernes II, 266.

obtigit, scilicet, non solum in superiore, sed etiam in inferiore flumine atque ea intensitate, ut aqua sanguinei coloris, quae secus salubris est hominibus, imo ipsis piscibus lethalis facta sit. Miraculum igitur in eo cernitur, quod plaga a Moyse annuntiata est, quod solito eventu maior et multo vehementior fuit.

Denique animadvertendum est Aegyptios Nilum in numero deorum sub nomine Hapi coluisse atque pharaonem mane ad consuetam adorationem exire solitum esse. Itaque Deus per nuntios suos potentiam manifestat, dum numen aegyptium foedum ac detestabile reddit

Secunda plaga: ranae.

Ex. 7,25-8,15.

Probabiliter priore plaga adhuc durante Aaron iussu Moysis manum suam super aquas Aegyptii extendit; tum ascenderunt ranae in maxima copia ex aqua corrupta Nili, pariter canalium et paludum; domos tam divitum, quam pauperum intraverunt, quum tot essent numero, ut neque satis spatii, neque satis alimenti sub divo reperirent; in lectum pharaonis,

in secretiora domorum loca, imo in ipsos cibos penetraverunt atque omnia conspurcaverunt.

Magi per incantationes suas plagam auxerunt, sed ranas auferre non valebant. Prolixius haec describuntur, quo perspiciatur, quomodo pharao ad Moysis apud Jahven intercessionem expetendam adductus sit. Pharao populum ad sacrificium se dimissurum esse promisit. Ranae die a pharaone constituta in omnibus locis praeter aquam mortuae sunt. Pharao autem promissa mox revocavit.

De plaga ranarum narrat Josephus Flavius: Antiqu. Jud. II, XIV, 2. Plinius (H. N. VIII, 29) mentionem facit incolas urbis cuiusdam antiquae Galliae propter ranas fugam arripuisse. Similia tradunt Justinus (XV, 2) et Orosius (III, 23)[1]

Observandum est tempore annuae inundationis Aegyptum etiam nunc ranis abundare. Portentum igitur non tam in re, quam in modo agnoscendum est.

Per primam plagam Aegyptii humiliati sunt, imbecillitatem dei Nili videntes; nunc idem accidit cum dea Hiqit,[2] protectrice contra ranas, quae cum capite ranae repraesentatur; antiquus cultus

1) Vigouroux. Dict. de la Bible. 3, c. 348.

2) Ibidem.

illius iam a quinta dynastia adnotatur.

Tertia plaga: sciniphes
Ex. 8,16-19.

Ex acervis ranarum putrescentium orta sunt varia genera insectorum, quibus tertia et quarta plaga Aegyptiis infligitur.

Tertia consistebat in culicum infinito numero ad nutum Aaronis pullulantium; item in eo, quod illud omnes magorum artes excedere agnoscebatur. Qui confusi pharaoni dixerunt: „Digitus Dei est hic." Pharao immotus permansit.

„Hoc animal[1] pennis quidem suspenditur per aera volitans, sed ita subtile est et minutum, ut oculi visum nisi acute cernentis effugiat; corpus tamen cum insederit, acerrimo terebrat stimulo, ita ut, quem volitantem quis videre non valeat, sentiat stimulantem[2]

---

1) moskitos

2) Origenes. Hom. 4 in Ex., apud Vigouroux. La bible et les découv. mod. II, p. 325; Hummel. Op. l., p. 95; Hek. Op. l., p. 99.

Haec quoque plaga conditionibus Aegypti naturalibus est adaptata; mensibus enim Octobri et Novembri culices ad instar pulveris excitati circumvolitant, ova humo spargunt, pungendo magnos tuberes excitant, ut somnum carpere homines nequeant, nisi tenui velo circumvoluti;[1] in genere singuli moskiti sunt valde molesti; myriades autem veram plagam constituunt.

Quarta plaga: muscae

Ex. 8,20-32.

Moyses pharaoni ad Nilum eunti praedixit die sequenti muscas in terram ac domos Aegyptiorum, non ~~modo~~ vero Hebraeorum venturas esse. Et factum est ita. Muscae in ipsas domos penetraverunt, sicut antea ranae. Pharao concessit, ut Hebraei viam trium dierum in solitudinem pergerent ibique Deo suo sacrificarent. Die altera Deus iuxta preces Moysis omnes muscas abstulit. Quo facto cor regis ingravatum est, ut non dimitteret populum.

In Aegypto muscae adeo frequentes sunt,

[1] Hagen. Lexic. bibl. III, c. 630.

ut propheta Isaias (7,18) Aegyptios muscas vocet. Plurimae myriades earum quandoque ab austro afferuntur, homines et pecora adoriuntur. Illae muscae circa palpebras hominum considere solent, scilicet, loca humidiora, unde frequens ophtalmia, maxime apud infantes nascitur. Muscarum etiam genera quaedam sunt, quarum morsus non solum molestus, sed hominibus et animalibus est perniciosus. Haud raro advehuntur ita, ut in unum pagum irruant, alio abstineant, unde quod v. 22 de terra Gessen servanda dicitur, hoc factum non est praeter leges naturae[1]

Muscarum plaga alias etiam fuisse intoleranda legitur, quare v.g. in Palaestina Accarone deus muscarum Beelzebub (בַּעַל dominus, זְבוּב musca) colebatur.

Quinta plaga: pestis pecorum
Ex. 9,1-7.

Moyses pharaoni annunciavit die sequenti animalia Aegyptiorum, in agris existentia, peste peritura esse. Et ita factum est; terra autem

1) Hummel. Op. l., p. 97.

Gessen exempta est. Rex misit nuntios, qui viderent, utrum animalia Israelitarum perierint. Quamquam verbum Domini accurate impletum est, cor tamen eius ingravatum est ita, ut Hebraeos non dimiserit.

Pestis pecoris in Aegypto non est periodica, at non infrequens; quandoque in Delta tanta erat, ut boves ad irrigandos et colendos agros ex Syria et insulis Archipelagi accersendi fuerint, v. g. magna strages 1786 a., 1842 a. obtigit.[1] Animalia domestica in Aegypto inferiore sunt valde numerosa, ideo contagio inchoata facillime vulgatur.

Scriptura sacra in casu genus pestis non determinat. Cadavera putrescentium ranarum aut vulnera veneno infecta ex tertia et quarta plaga pestem efficere poterant.

Miraculum igitur in eo consistit, quod haec plaga a Moyse praenuntiata et effecta est.[2]

Sexta plaga: ulcera

Ex. 9, 8-12.

Moyses ex mandato Domini cinerem spargit

1) Hummel. op. l., p. 99. 2) Hagen. op. c. III, 630.

versus quatuor coeli partes, quo symbolo plaga coelitus universae Aegypto immitenda significatur. Hic agitur de morbo communi iumentis cum hominibus, scilicet, de „inflammatione erumpenti in bullas", id est de morbo cutis. Cum antiqui Aegyptii munditiei studiosi essent, magi ulceribus foedati coram rege stare non potuerunt. Malefici itaque confusi sunt, quod non solum plagam aliis infligere, sed etiam se ipsos ab ea defendere non possent.

Varia genera huius morbi in Aegypto nascuntur, praesertim tempore inundationis Nili. Causam mali alii assignant evaporationem aquae corruptae, alii aestum; aestu enim cessante morbum cutis cessare quoque exploratores testantur.

Sexta plaga prima directe homines nulla classe, neque ipsis magis exceptis, affecit. Cum plurima scabies frequenter in Aegypto occurrat, haec plaga conditionibus terrae est affinis; igitur miraculum in intensitate et nexu cum mandato Moysis Dei nomine consistit.

V. T. Fol. 7 Professor: A. C. Grigaitis

Septima plaga: grando

Ex. 9, 13-35.

Moyses pharaoni annuntiavit die sequenti eadem hora vehementi grandine omnes homines et iumenta ab agris non reductos perituros esse. Altera autem die iussu Domini virgam in coelum extendit; tum Deus dedit tanta tonitrua et grandinem ac discurrentia fulgura super terram Aegyptiorum, non vero Hebraeorum, quanta antea non apparuerant. Grando percussit omnia, quae in agris erant. Pharaone Moysen rogante et Moyse ad Dominum orante tonitrua ac grando cessaverunt. Quo facto cor regis ingravatum est.[1]

Priores sex plagae cum fluminis inundatione quadamtenus connectebantur. Ubi iam tempus anni advenit, quod germinatio segetum audit, Dei indignatio contra segetes conversa est. Quae plaga solemne v.v. 13-16 exordium habet, quo simul a praecedentibus evidentius discernitur; deinde ceterae circumstantiae vivide pinguntur;

1) Hetz. Op. c., p. 100.

ТИП.-ЛИТ. Я. РАШКОВА С.П.Б

in genere illustriore stilo describitur.

Textus sacer tempus huius plagae approximative determinat in v.v. 31-32. Antiquitus hordeum colligebatur sexto postquam serebatur mense, triticum septimo. E recentiorum testimoniis illud indubie eruitur, triticum mense saltem post hordeum maturescere, quibus textus s. confirmatur; item eruitur tempus, quo simul hordeum virescat, linum folliculos germinet, triticum vero prima germina exhibeat esse fere mense in Ianuarium aut Februarium[1].

Quum tamen ratione habita tempestatis, irrigationis et industriae incolarum in his diversitas quaedam observetur, omnino accurate tempus septimae plagae determinare non possumus, sed tantum approximative concludere.

Porro textus sacer de hominibus ac iumentis propter grandinem perituris loquitur, quod interdum reapse evenit, v.g. in commentariis „Revue scientifique" 1884 p.222[2] narratur de morte plurium avium atque animalium ob grandinem ovi magnitudine cum procella vehementi excussam.

---

1) Hummel. op. l., p. 104.
Crellier. L'Exode et le Levitique. Paris. p. 77.

2) in Dict. de la Bible. 3, 337.

Quod terra Gessen ab hac plaga libera fuerit, cum phaenomenis naturalibus pariter congruit, nam grando certis limitibus circumscribitur.

Quum tandem grando in Aegypto valde raro cadere soleat[1], portentum illud, a Moyse praedictum, eo evidentius quoad modum ab Jahve factum esse sequitur.

Octava plaga: locustae.

Ex. 10, 1-20.

Moyses praenuntiat locustas destructuras esse eam cerealium partem, quae grandinem evaserant, i. e. sive quod tempore grandinis nondum germinaverint, v. g. triticum, sive quod grando certis finibus continebatur et non omnia vastaverat; plaga annuntiata Moyses e palatio regis egressus est. Servi autem pharaoni suadebant, ut populum Hebraeorum ad sacrificandum dimitteret, quum Aegyptus iam antecedentibus plagis pereat. Rex igitur Moysi et Aaroni revocatis proposuit, ut viri dumtaxat ad sacrificandum pergerent, totum vero populum cum omnibus gregibus dimittere noluit. Tum Moyses a rege eiectus virgam

1) Vigouroux 1888a. narrat de teste oculato, qui 29 annos Cairi degens, bis tantum per spatium temporis quinque minutarum grandinem vidit.
La Bible et les déc.; II p. 333

super terram Aegypti extendit; Dominus vero induxit ventum urentem tota illa die ac nocte, qui mane facto innumerabiles locustas levavit. Quae in agris omnia corroderunt atque ipsas domos Aegyptiorum impleverunt. Quam ob rem pharao statim Moysen et Aaronem vocans, petiit, ut plaga auferretur. Moyse orante Dominus a mari Mediterraneo ventum vehementissimum flare fecit, qui omnes locustas in mare Rubrum proiecit. Sed cor pharaonis iterum induratum est et populum Israel non dimisit.[1]

Locustae frequentes sunt in regionibus Orientis; varia sunt genera earum; supra quadraginta familiae palaestinenses distinguuntur. Cum strepitu volantes, quandoque ad instar nubium solem obscurant, multa millia passuum regionis operiunt; herbas omnes et folia devorant; domos penetrant, trabes corrodiunt; ipsae per se longius volare nequeunt, sed vento advehuntur, vento iterum asportantur. Syriam et Arabiam imprimis vehementer molestant. In Aegypto autem, uti monumenta et exploratores testantur, plaga locustarum rarior quidem est, attamen certo occurrit.[2]

1) Cf. Hetzer. Op. l., p. 100
2) Cf. Hagen Op. l. III, 631.

Viginti quatuor horae venti violentis ab oriente sufficiunt, ut locustae deserti leventur et haud latum mare Rubrum transvolent. Vento illo advectae se proiiciunt in vallem Nili et quidem potissimum in inferiorem Aegyptum, circa urbem Memphim. (L. de Laborde. Comment. géogr. de l'Exode, p. 44; in Diction. de la Bible V, c. 1515)[1]

Quantam vastitatem locustae efficiant, optima comparatione declaratur: „Quasi hortus voluptatis terra coram eo[2] (antequam venerit) et post eum solitudo deserti." Joel 2, 3.

Prodigium itaque in eo consistit, quod Moyse Dei nomine dirigente locustae adportatae et ablatae sunt atque quod extraordinaria multitudine apparuerant (Ex. 10, 14-15).

Nona plaga: tenebrae.

Ex. 10, 21-29.

Domino mandante Moyses manum suam in coelum extendit et magnae tenebrae tribus diebus factae sunt in universa Aegypto, terra Gessen excepta, ubi lux erat. Pharao etiam mulieres et parvulos ad sacrificandum dimittere, greges autem retinere volebat;

1) Fusius cf. Vigouroux. La Bible et les découv. II, 334-340; Lesêtre in Diction. de la Bible Vig., V, cc. 1510-1520
2) Populo multo et forti comparatur.

sed Moyses reposuit hos quoque in desertum educendos esse. Rex autem Moysis postulata denegavit ipsumque a conspectu suo abegit.[1]

Tenebrarum etiam causa naturalis in Aegypto habetur. In Africa septentrionali ex desertis flat ventus vehementissimus, qui in Algeria simun, i. e. venenum appellatur; Arabes in Aegypto eundem ventum vocant khamsin, i. e. quinquaginta, quoniam per quinquaginta dies furere solet, scilicet, circa veris aequinoctium ab exeunte mense Martio usque ad medium mensem Maium; neque tamen per illos quinquaginta dies continuos flat, sed biduis, triduis, quadriduis interiectis. Ex deserto Libyae ingentem copiam ardentis arenae secum fert, quae omnia penetrat atque exsiccat, pellem et pulmones urit ac torquet, radios solis praecludit, imo etiam magnos commeatus arenis obruere potest, siculi exercitum Cambysis contra Ammonios missum, prout Herodotus narrat. (3, 26)[2]

Ventum khamsin annuntiat singularis aestus, notus indigenis, qui incolas formidine afficit. Mox e longe signum, quod vix animadverti potest, in coelo apparet; quod paulatim crescit et totum coelum

1) cf. Hetz. Op. l., p. 101
2) cf. Hagen. op. l., c. 632

operit. Aer quietus statim commoveri incipit, deinde procellosus evadit; turbines venti omnia in via abripiunt.

Quandoque khamsin sine magna perturbatione aeris appropinquat: tanquam exercitus vastans, qui cum silentio progreditur et praesentiam suam dumtaxat per depopulationem manifestat. Coelum subito nubilare incipit, arena super terram attollitur, discus solis primo sanguineus evadit, deinceps livore decoloratur. Nubes spissae arenae, similes flammae, aera implent et quasi immensum incendium efficiunt. Calor viginti quinque graduum ob khamsin statim in quinquaginta mutatur. Tenebrae magis magisque condensantur; brevi obscura nox ingruit, ita ut obiectum prope iacens discernere aut proficisci impossibile est. Arena penetrat in domum, licet bene clausam, supellectilem coopertam; faciem hominis tegit tanquam involucro ardenti. Particulae sulphuratae corpus inflammant, pulmones attingunt, quorum motum retinent. Respiratio molesta evenit, sanguis in caput affluit, imbecillitas afficit, mors saepe sequitur. Cameli in terram se proiiciunt et os in arenam demergunt,

alia animalia latitant; homines caput vestibus vel panno cooperiunt atque in piscinas, sepulcra, cryptas descendunt.[1]

Tanti sunt effectus vehementissimi khamsin. Igitur indoles huius plagae similis est praecedentibus, scilicet, prodigium in praenuntiatione atque intensitate flagelli consistit.

Decima plaga: mors primogenitorum.

Ex. 11, 1-12, 36.

Moyses a pharaone egressus a Domino de interitu primogenitorum edoctus est, deinde praecepta paschalia accepit atque populo promulgavit. Media nocte Dominus omne primogenitum Aegyptiorum percussit, a primogenito regis in throno usque ad primogenitum captivae in carcere simulque omne primogenitum iumentorum. Clamor magnus ortus est in Aegypto. Pharao Moysen et Aaronem vocavit et iis permisit, ut etiam greges suos in solitudinem educerent; Aegyptii vero Israelitas urgebant, ut velociter e terra exirent, ne omnes morerentur. Populus igitur tulit conspersam farinam, antequam

1) Vigouroux. La Bible et les déc. II, 343-345.

fermentaretur, necnon vasa[1] argentea et aurea et vestes plurimas, quas Domino mandante ab Aegyptiis postulaverat, atque profectus est.[2]

Plures cum Hummelauer[3] coniiciunt decimam plagam fuisse pestem. Manetho commemorat exitialem luem tempore primae dynastyae, aliam Thucydides narrat et sic porro. In decima plaga de epidemia homines citissime interimente agitur. Quandoque epidemia homines maxime robustos et sanos prae aliis, quandoque mares prae feminis prosternit. Oxonii in Anglia 1795 a. febris scarlatina unica nocte omnes pueros eo ipso anno natos oppressit, nullam vero puellam.

Quibus verisimile efficitur decimam, uti anteriores plagas, profectam esse ab eventu aliquo naturali ex iis, qui in Aegypto interdum locum haberent. Eventus mere naturalis dici non potest, sed veri nominis portentum, quod praeter Moysis praedictionem evincunt tot primogeniti una dimidia nocte per totam Aegyptum extincti, Hebraeorum primogenitis servatis.

1) Quod vasa et vestes attinet, Holzinger cum aliis putat Aegyptios illas res Israelitis commodare tantum, non donare voluisse. Attamen ex textu hebraico (Ex. 12, 36) sequitur Aegyptios non commodasse, sed gratia Dei commotos vasa et vestes Israelitis donasse. Itaque Hebraei non sunt accusandi, quod ea mutuo acceperint et non reddiderint. (Hummelauer. Op. l., p. 126; Selbst. Op. l. p. 370 ss.)

2) cf. Hetz. Op. l., p. 101

3) Op. l., p. 124.

Conclusio.

Ex dictis de singulis plagis sequitur: a) illae cum indole regionis plane concordant, similibus enim calamitatibus, prout ostendimus, Aegyptum quandoque affligi constat. Quae circumstantia contra difficultatem plagas esse fictas, excogitatas fabulas praemunit.

b) Simul tamen sunt miracula. S. Thomas[1] tres gradus miraculorum distinguit, nempe **quoad substantiam**, seu effectus, quos natura nulla ratione producere potest, v. g. quod corpus humanum glorificetur; **quoad subiectum** seu effectus, quos natura absolute producere potest, sed non relative ad tale subiectum, v. g. resuscitatio mortuorum, illuminatio caecorum; natura enim vitam causare potest, sed non in mortuo; visum praestare potest, sed non in caeco; **quoad modum** seu effectus, qui ratione modi tantum, quo fiunt, vires naturae superant, v. g. si quis absque consueto processu naturae subito a febre curatur vel si aer statim in pluvias densatur absque causis naturalibus, vel si effectus ad invocationem alicuius provenit et ad preces eius cessat, vel si ipse intensior est, quam natura facere consuevit.

Igitur plagae ad miraculum tertii gradus referuntur;

1) Summa theol. I q. 105 a. 8
Contra gentiles III c. 101.

hoc in eo cernitur, quod a) plagae a Moyse praenuntiantur, advocantur, eo iubente cessant. b) ipsi eventus et effectus solito maiores, multo graviores ac vehementiores sunt. c) magi quidem aegyptii iam ad tertiam plagam confessi sunt: digitus Dei est hic (Ex. 8, 19). d) Israelitae et eorum regio Gessen saltem a quarta et sequentibus plagis immunes erant. e) quod singulas attinet, mors omnium primogenitorum Aegyptiorum, Hebraeis exceptis, naturaliter explicari non potest.

Fontes adhibiti:

1. A. D'Alès. Dictionniare apolog. I, 5, 1307-1308.
2. Vigouroux. Diction. de la Bible. 5.; „Plaie" et alii tomi ad sing. plagas.
3. Hagen. Lexicon biblicum. 3 „Plagae aegyptiacae".
4. Herzog. Realencyklopedie 13. 491-492.
5. Hummelauer. Commentarius in Exodum et Leviticum. Paris 1897.
6. Joannes Weiss. Das Buch Exodus Graz und Wien „Styria" 1911.
7. Crelier. L'Exode et le Lévitique. Paris 1902
8. Knobel-Dillmann. Exodus und Leviticus. Leipzig. 1880.
9. Vigouroux. La Bible et les découvertes modernes. Paris 1896, II, 305-349.
10. Hetzenauer. Theologia biblica. Freiburg in Br. Herder 1908.
11. Selbst. Handbuch zur biblischen Geschichte.[6] Freiburg i. B. Herder 1906.
12. Zschokke. Historia a. Testamenti. Braumüller. Wien u. Leipzig.
13. Pelt. Histoire de l'A. Testament Paris. Le offre.
14. Thein. The Bible and Rationalism. Herder. St Louis. 1901. I (4 volum)
15. Eerdmanns. Alt testamentliche Studien. III. Das Buch Exodus. Giessen 1910.
16. Wlh. Spiegelberg. Der Aufenthalt Israels in Aegypten. Hinrich. Leipzig. 1904.
17. Maspero. Histoire ancienne des peuples de l'Orient classique. Paris I (Egypte et Chaldée) et alii

3. Transitus maris Rubri [1]

a) Nomen maris et brevis descriptio.

Mare Rubrum hebraice vocatur: יַם־סוּף. De origine et significatione nominis סוּף vix certi quid dici potest. Vocabulum סוּף: Ex. 2,3.5; Is. 19,6 designat iuncum [2] vel etiam varias plantas in ripis fluminum ac maxime Nili crescentes. Eadem vox: Ion. 2,6 significat fucum, algam [3]. Fieri igitur potuit, ut Hebraei illud mare vocaverint סוּף vel propter easdem plantas iuxta mare et iuxta Nilum crescentes, vel propter algas, quarum plurimae in sinu Arabico inveniuntur, pauciores tamen in sinu Suez, prouti nunc est.

Mare Rubrum in Scriptura sacra dicitur primo sinus Suez, antiquitus Heroopoliticus, ad occidentem paeninsulae Sinaiticae: Ex. 10,19; 13,18; 15,4.22 etc.; secundo, sinus ʿAqaba, olim Aelaniticus, ad orientem paeninsulae Sinaiticae: Ex. 23,31; Num. 14,25; 21,4 etc.

Sinus Suez antiquitus longius, quam nunc ad septentrionem protendebatur, nam etiam lacus Amaros et lacum Timsah probabiliter comprehendebat [4].

b) Narratio biblica de transitu maris.

Mare Rubrum in Scriptura sacra celebre evenit traiectione

---

1) cf. praecipue Legendre in enc. Vigouroux.; Dict. de la Bible V, 1215–1227; 1910.
2) sit, roślina służąca do oplatania koszów; 3) porost, mech morski; Vulgata minus recte vertit: pelagus.
4) cf. Hagen. Lexicon bibl. 3, 100–101.

Israelitarum sicco pede in itinere ex Aegypto in regionem Chanaan. Qui eventus enarratus est in l. Ex. 14, poetice decantatus Ex. 15, 1. 4. 8. 10. 19. 22, in memoriam revocatus Dt. 11, 4; Jos. 2, 10; 4, 23; 24, 6. 7; Jud. 11, 6; ps. 105, 7. 9. 22; ps. 135, 13. 15; 2 Esdr. 9, 9; Judith 5, 14; Sap. 10, 18; 19, 7; 1 Mach. 4, 9; Act. 7, 36; Hebr. 11, 29.

Ad historicam veritatem illius facti vindicandam et indolem determinandam, quaestio solvenda est, quo loco Hebraei illud mare transierint.

Ad problema explanandum narratio biblica de initio itinerarii Israelitarum examinanda est. Sequentes versus huc spectant: Ex. 13, 17-18, 20; Ex. 14, 1-3. 7. 9-10. 15-16. 21-28.

c) Topographia.

Ad locum transitus determinandum sedes eventuum, i. e. isthmus Suez propius describenda est. Ab extremo lacu Menzaleh versus meridiem sequuntur arenosa cum colle el-Qantara seu „ponte"; hoc nomen inde provenit, quod locum transitus inter Aegyptum et desertum orientale constituit. Post arenosa extenditur lacus Balah, deinde collis el-Džisr, qui viginti metris in superficiem maris dominatur et maxime prae aliis elevatum locum isthmi efficit; el-Džisr exhibet limen, quod haud effossum communicationem inter mare Mediterraneum et lacus inferiores impediret. Ulterius lacus Timsah situs est, quem duo colles arenosi

excipiunt: Tussum et Serapeum. Decem kilometris abhinc ad meridiem distant lacus Amari, qui maiore et minore stagno constant, circiter quadraginta kilometra sunt longi, usque ad duodecim kilometra lati, ad summum quindecim metra infra maris superficiem profundi. Ante effossionem canalis Suez lacus Amari a multis saeculis siccum solum cum stratis salis in fundo constituebant. Lacus Amari a mari Rubro separantur colle Šaluf, qui circiter septem metra supra aequor maris elevatur. Tum solum versus meridiem sensim descendit usque ad finem extremum isthmi atque planitiem arenosam circiter viginti klm. longam, circa unum metrum supra aequor maris dominantem, efficit. In extrema planitie urbs Suez sita est;[1] denique mare Rubrum seu sinus Suez sequitur.

Israelitae igitur ex Aegypto in regionem Chanaan proficiscentes, per hanc descriptam lineam transierunt. Via naturalis atque brevior, prout ipsa Scriptura sacra commemorat (Ex. 13, 17-18); eos directe in regionem Philistaeorum, nempe versus urbem Gaza ducebat, sed ibi custodes Aegyptii atque gentes his foedere iunctae Hebraeis obviam fierent; pugnas committendas coacti animo cadere et in Aegyptum reverti poterant, proinde textus sacer iungit (Ex. 13, 18): „Circumduxit (eos Deus) per viam deserti, quae est iuxta mare Rubrum".

Itaque quam viam Israelitae secuti sint, quaestio ponitur. Problema solvendum est difficile, nam parum notis

1) Vigouroux. La Bible et les déc. II, 385-389.

plerumque locis geographicis munitur.

Sedes exodi Ramses fuisse dicitur (Ex. 12.37), sed ubi illud situm fuerit, coniecturae dumtaxat dantur.[1] Critici quidam, v.g. Hummelauer, fuisse urbem Tanis asserunt. Sed praeter nimiam distantiam insuper ramus Pelusiacus Nili in itinere ex urbe Tanis in desertum traiiciendus esset, quod silet Scriptura sacra. Locus Ramses communiter in planitie Tumilat haud procul a ruinis tell-el-Maskhuta (Pithom) indicatur. P. Lagrange[2] vero in es-Salihiyeh, loco, qui duas vias ex Asia, unam per el-Qantara, aliam per Ismailia ducentes, iungit.

Sukkoth est vox forma hebraica, designans: tentoria, tabernacula, pariter aegyptio nomini: Thkut, Thukut (aegypt. th = hebr. ס) accurate correspondet. Sukkoth ex contextu potius provinciam, quam urbem denotat, nam magna multitudo proficiscentium Israelitarum in urbe subsistere non valuit. Monumenta aegyptiaca tractum Thukut prope Pitum[3] indicant. Prima igitur mansio Israelitarum haud longe distabat a tell-el-Maskhuta, ad occidentem aut versus occidentalem et septentrionalem plagam lacus Timsah.

Etham est nomen secundae stationis Israelitarum, item nomen deserti, quod Hebraei post traiectionem

1) cf. supra p. 92
2) Revue biblique 1900 p. 73
3) cf. supra p. 92.

maris Rubri transierunt. (Num. 33,8). Vox Etham, aegyptiace: Khatem = circumvallatio, innuit seriem arcium a pharaonibus in limitibus Aegypti aedificatarum contra tribus nomades Arabum; probabiliter ad orientem el-Džisr inveniebatur, exinde enim Deo disponente Moyses itineris directionem mutavit, scilicet, de via recta versus terram Philistaeorum deflexit ad Pihachiroth, iuxta mare Rubrum.

Pihachiroth, aegyptiace Pikeheret, quod nomen ab exploratore Naville in ruinis tell-el-Maskhuta, in inscriptione Ptolomaei Philadelphi inventum est. Inde sequitur illud probabiliter non procul a Pithom situm fuisse, quod reapse itineri Hebraeorum ab Etham revertentium (Ex. 14,2) probe congruit.

Alii itaque Pihachiroth ad occidentem lacus Timsah assignant, alii autem, transitum Israelitarum, per lacus Amaros affirmantes, mansionem Pihachiroth reponunt ad meridiem usque ad 'Adjerud, quod quatuor horis itineris versus septentrionem et occidentem a Suez reperitur.

Secundum librum Exodi (14,2) Pihachiroth situm erat inter Migdol et mare, contra Baalṣephon. Quae duo nomina quod attinet, hucusque nil certi de iis adest, plane ignota sunt.

Migdol in inscriptionibus aegyptiacis in forma Maktl = turris, arx occurrit; quapropter urbem munitam, quae fines Aegypti contra tribus deserti defendebat, significat. Quum autem non sola, sed ejusmodi aliquot essent, illa significatio situm accurate non determinat.

Quod Baalsephon attinet, sanctuarium „Baal septentrionalis" designat. Quum cultus Baal potissimum in locis excelsis erigeretur et quum Set aegyptius, deus maris, Baalo phoenicio synonimus esset, illud nomen probabiliter montem quendam in mare dominantem: Džebel Geneffet aut Džebel Ataqa significat[1] Igitur indicationes biblicae de initio itineris Israelitarum sunt hodie adhuc parum exploratae. Quae permittunt duntaxat nonnullas opiniones de transitu maris Rubri reiiciendi atque probabilem proponendi.

d) Variae theoriae de loco transitus maris Rubri.

1) Fusius de illis locis cf. Lagrange. Revue biblique 1900, pp 71 ss.

ТИП. ЛИТ. Я. РАШКОВА С.П.Б.

1. Theoria P. Sicard S.J.

Pater Sicard primus quaestionem de transitu maris Rubri scientifice exploravit. Anno 1720 iter in Aegyptum arripuit cum praecipuo scopo itinerarium Israelitarum examinandi. Explorationes suas in epistola ad P. Fleuriau S.J. enarravit.[1]

P. Sicard theoriam suam incipit, statuens pharaonem exodi non in urbe Tanis, sed Menphi habitasse. Locum exodi „Ramses" identificat cum Bessatin, parvo vico, octo millibus passuum ab antiquo Cairo distante, ad orientem Nili posito. Inde Israelitae versus mare Rubrum profecti sunt per planitiem Tavaric, inter montana Džiuši et Tora, mare vero traiecerunt certo intervallo infra urbem Suez, loco contra Aynu Musa ex altera parte maris sito, quo mare latum atque profundum est.

Quae teoria longo tempore successum habuit atque multos asseclas numerabat. P. Pujol S.J. eam defendebat adhuc a. 1872 in comm. „Etudes

1) Lettre du P. Sicard sur le passage des Israelites. Lettres édifiantes et curieuses; édition de Toulouse 1810, t. V, p. 211; ap. Vig. La Bible et les déc. II 356.

 religiosus."

Sed haec opinio errorem continet, cum falsum locum exodi Hebraeis assignet; primo enim pharao non Memphi residebat; equidem liber Exodi explicite urbem regiam non nominat, sed ps. 77. 12. 43 diserte adnotat prodigia in campis Taneos facta esse, quod hodie communiter recipitur; secundo, urbs Ramses non in hodierno Besatin quaerenda est, nam certo in regione Gessen sita erat; haec autem non in ripa Nili, ubi Besatin invenitur, sed magis versus septentrionem Aegypti collocanda est.

Igitur theoria P. Sicard hodie derelicta, merito reicienda est.

2. Theoria H. Brugsch.[1]

Nova (theoria) coniectura prolata est ab

---

1) Henricus Carolus Brugsch natus est 1827 a., mortuus 1894 a. protestans, aegyptologus. 1864-1868 consul Cairi fuit, 1868 professor aegyptologiae in universitate Göttingen creatus est, 1870-1880 directori scholae aegyptologiae Cairi fuit, 1880 a. professor aegyptologiae Berlini factus est; 1888 a. academia scientifica Berlinensis eum creavit membrum suum. Scripsit germanice et gallice. Opera: L'exode et les monuments égyptiens. 1875. Leipzig et plura alia.

aegyptologus Henricus Brugsch, primo in lectione, Alexandriae habita[1] deinde in conventu orientalistarum Londini.

Auctor asserit urbem exodi Ramses et regiam Tanis fuisse easdem. Documento aegyptio munitus, quo opinionem suam artificialiter tuetur, stationes Sukkoth, Etham, Magdal, Pihachiroth versus orientalem partem ab urbe Tanis collocat.

Ab Etham secundum eum Israelitae ad septentrionem deflexerunt, „pour entrer dans les basses du lac Serbonis[2] i.e. hodiernum Bardwil.

Itaque secundum Brugsch Hebraei profecti sunt absque ulla traiectione maris, nempe per angustum terrae spatium inter lacum Serbonis et mare Mediterraneum. Exercitus Aegyptiorum maximis aestibus deprehensus, in gurgitibus lacus sepultus est, prout accidit v.g. militibus Artaxerxis (Diodorus XVI, 46).

Sed opinio Brugsch vitium comprehendit in loco exodi determinando et directione, qua Moyses Israelitas duxerat, stabilienda. Ramses non fuisse Tanin supra ostendimus; porro in Scriptura Sacra est sermo de mari Rubro, non autem Mediterraneo.

1) La sortie des Hébreux d'Egypte. Alexandrie 1874.
2) L'Exode et les monuments égyptiens., p. 28

Traditio Hebraeorum duo omnino distincta maria confundere non potuit. - סוף ־ים prout vidimus, est mare, quod paeninsulam Sinaiticam alluit, non autem lacum Serbonis aliaque inferioris Aegypti.

3. Theoria sinus Suez.

Opinionibus extremis, septentrionali et meridionali eliminatis, directio intermedia examinanda est.

Attentione digna est theoria F. Vigouroux[1] Proficientes de Ramses Israelitae secuti sunt ripam canalis aquae dulcis, per planitiem Tumilat; aquae inopia illa via eos ducebat. Primum spatium itineris fuit breve, magna enim multitudo sequebatur et procul ab urbe Ramses degentes se iungerent oportebat. Mansio itaque Sukkoth in vicina Pithom (hod. tell. el-Maschuta) collocanda est. Ad verum consilium itineris a pharaone celandum proximum desertum Etham attingendum erat, unde versus Sinai ad meridiem discedendum erat. Providentia duce Moyses viam Philisthaeorum deseruit et ad mare Rubrum subito deflexit.

1) La Bible et les déc. II, pp. 403-426; alii fautores huius coniecturae sunt: Tischendorf, Keil, Ebers, Scholz, Ries

Tempus ad hoc iter faciendum aptum in Scriptura sacra non determinatur. Inopia aquae et pabulorum adigebat, ut Israelitae circa littus occidentale lacuum salsorum se tenerent, canales enim Nili ibi solum adhuc fertile reddebant. Cum Hebraei ad extremum mare pervenissent, castra in littore posuerunt cum scopo ad orientem, in desertum Sinai transeundi. Statio Pihachirot assignanda est in vicinia džebel Ataqa, qui cum Baalsephon identificandus est. Hoc loco adveniens exercitus Aegyptiorum Israelitas perterruit.

Aegyptii ex urbe regia Tanis venientes, a lacu Timsah secuti sunt eandem viam, quam Hebraei profecti erant. Coram Aegyptios nullus exitus Israelitis patebat, nam džebel Ataqa, qui prope mare elevatur, eis fugam ad occidentem et meridiem impediebat, mare ad orientem, currus vero pharaonis ad septentrionem intercludebant. Miraculum solum Israelitis auxilio venire poterat. Spatium maris, quod Hebraei sicco pede traiecerunt, non erat valde longum, nam una nocte cum immensa multitudine illud permeaverunt. Cum Aegyptii mane animadvertissent servos suos e manibus excidisse, eos persecuti sunt, sed aquae eorum operuerunt. Observandum est textum sacrum

non dicere pharaonem ipsum aquis submersum fuisse.

Quae opinio plurimum arridet, primas enim mansiones Israelitarum apte collocare videntur; attamen illa graves difficultates comprehendit:

a) Primo sat longum iter ab Etham usque ad Phahiroth, circa 70-80 kilometra, ineptum esset. Mare Rubrum enim tempore exodi probabiliter usque ad Ismailia patebat, ita ut a lacu Timsah per lacus Amaros cum sinu Suez unum constitueril,[1] ergo impossibile ad traiciendum in orientalem partem.

Si autem tempore exodi lacus Amari a mari Rubro versus septentrionem a Suez iam separati essent, pariter longum iter versus meridiem inutile remaneret, nam ex monumentis aegyptiis apparet seriem arcium (aegyptiace: khatem) in limitibus orientalibus contra asiatas nomades aedificatam esse, potissimum in locis, ubi mare, respective lacus Amari, nullum naturale praesidium praebebat.[2]

b) Praeterea plures interpretes primam stationem post transitum maris Rubri „Mara" identificant cum Ayun Musa, duobus kilometris distantem a loco traiectionis secundum Suez-theoriam; in Scriptura S. autem trium

---

1) Lagrange. R. B. 1900, p. 77.; Vigouroux. op. l., p. 402 in nota.
2) Maspero. Histoire ancienne des peuples de l'Orient classique. I, p 349.

dierum iter per desertum usque ad illam mansionem commemoratur (Ex. 15, 22).

c) Denique accurata exploratio sinus Suez item auctoritatem huius coniecturae diminuit. Si Israelitae a colle Ataqa per mare usque ad Ayun Musa transiissent, spatium circiter viginti klm. una nocte paucis horis cum mulieribus, liberis, gregibus permeandum habuissent, atque mare ibi in nonnullis locis viginti duo metra profundum est. Vis venti ad mare dividendum, cui Scriptura sacra insistit, fere nulla esset.[1]

Quae cum ita sint, recentes critici aliam theoriam proponunt, quae tantas difficultates haud comprehendit.

4. Transitus Israelitarum per lacus Amaros.

Nonnulli architecti, qui canali Suez effodiendo intererant, opinati sunt Israelitas traiecisse per lacus Amaros, qui tunc temporis cum mari iungebantur. Quam theoriam praecipue Lecointre[2] defendit.

---

1) Cf. L. Szczepański S.J. in Zeitschrift für katolische Theologie, 1908 pp. 250-251.
2) Du passage de la mer Rouge par les Hébreux, avec deux cartes. Études religieuses. Octobre 1869, pp. 557-582; Réponse au P. Pujol. Études religieuses. Juillet et août 1873; ap. Légendre. op. l. c. 1221.

137. Transitus maris Rubri.

Ille pro certo habet lacus Amaros cum mari Rubro unum constituisse; quam communicationem duntaxat averosum limen Šaluf interrupit. Quum salsugo aquae lacuum esset maior, quam maris, sequitur illam communicationem fuisse non continuam, sed periodicam; inde siccus transitus, non autem vadum aderat, quo hodie Šaluf invenitur.

Lecointre collocavit Etham, quo nunc Serapeum est, ad septentrionem a lacubus Amaris; Magdal cum montanis džebel Geneffeh identificat, Baalsephon cum Šebrewet, unico cacumine planitiei; Pihachiroth assignavit in planitie sita inter džebel Geneffeh et mare, quo Israelitae prope Šebrewet castra posuerunt.

Moyses ex Etham Hebraeos ducit per littus occidentale lacuum salsorum, aqua impletorum, cum scopo ad transitum Šaluf perveniendi et tali facto deserturum ad orientem sinus Suez attingendi. Quod tamen minus fauste successit, nam currus pharaonis venientes a plaga occidentali et meridionali a parte urbis Menphis iter impediverunt; itaque clausus est inter exercitum aegyptiorum a meridie, lacus Amaros ab oriente et džebel Geneffeh ab occidente; sed Deus Israelitas miraculoso modo liberavit per lacus salsos ducendo.

Naville tenet pariter mare Rubrum cum lacubus Amaris antiquitus iuncta fuisse, imo usque ad lacum Timsah mare patuisse. Inter Serapeum et lacum Timsah mare fuit angustum, aqua haud profunda atque ventus orientalis Hebraeis viam aperire potuit.

P. Hummelauer S.J.[2] transitum Israelitarum similiter collocat inter lacum Timsah et lacus Amaros. „Probabiliter traiecere Hebraei mare extremo fere, qui nunc est, Lacu Timsah, inter hunc lacusque Amaros."

Tandem Lagrange[3] fere idem censet: sufficit intrare aquam parum profundam ad vim venti orientalis sentiendam. Hae conditiones ad effectum perductae sunt, quo nunc Serapeum invenitur, quod non profunde submersum erat, ita ut aquae agitatae vento meridionali et orientali versus lacum Timsah repulsae sint; dum e contra prope Suez idem ventus transitum difficilem redderet. Si documenta aegyptia historico Maspero argumenta praebent, locum Migdol fuisse, quo Serapeum situm est, quaestio soluta est.[4]

Quae igitur theoria transitus Israelitarum per lacus Amaros, utpote iudicio recentissimorum criticorum munita et minores aliis difficultates

---

1) The Store-City of Pithom pp. 21. 26.
2) Comment. in Exod. et Levit. p. 149.
3) L'itinéraire des Israelites. Revue Biblique 1900, p. 80.
4) Similiter opinatur Flinders Petrie et alii.

comprehendens maiori auctoritate quam aliae gaudet; momentum eius dependet a circumstantia, utrum reapse tempore exodi mare Rubrum usque ad lacum Timsah extenderetur, quod communiter asseritur. Praeter alias rationes coniectura de limitibus maris confirmatur nomine antiquo, sinus Heroopolitici", quo mare Rubrum vocabatur, scilicet, quum urbs Heroopolis cum Pithom identificatur, mare eodem nomine cum urbe appellatum, eo loci probabiliter patebat.

e) Indoles historica et miraculosa problematis.

α) 1) Critici independentes historicam indolem transitus maris Rubri sive omnino negant, sive notabiliter eam imminuunt.

Qui Babylonem ubique praesentiunt, v. g. Jeremias et alii, in transitu maris Rubri vestigium mythi babylonici videlicet pugnae dei Marduk cum monstro Tiamat autumant. Divisio maris est fissio monstri Tiamat in duas partes, quam mythus babylonicus commemorat 1)

---

1) „Die Spaltung des Meeres 2 Mos. 14, 21 f. soll .... an die Spaltung des Chaosungeheuers erinnern". Jeremias. Das Alte Testament im Lichte des Alten Orients[2]. Leipzig. p. 410.

2) Alii, v.g. Spiegelberg[1] exodum Israelitarum historicum fuisse agnoscunt, singula tamen in narratione biblica, praecipue miraculosum transitum maris Rubri ad fabulas referunt.

3) Catholici interpretes narrationem biblicam historicam esse dicunt, quod expositio simplex, absque artificiali apparatu affirmat, deinde multiplex testimonium tam Veteris, quam Novi Testamenti (cf. pp 124-125) comprobat; tum traditio christiana tuetur, quae hanc quaestionem punctum fundamentale historiae populi electi considerat atque medium efficax, quo Deus usus est ad Hebraeos ex captivitate liberandos et ab idololatria cum polytheismo avertendos et ad fidem in omnipotentiam Jahve obfirmandam; denique animadvertendum est s. Paulum (1 Cor. 10, 2) et plures Patres[2] transitum maris Rubri tamquam typum baptismi existimasse, ergo auctoritatem historicam indubie tenuisse.

1) „Wer durchaus eine historische Erklärung dieses Sagenmotivs haben will, der mag annehmen, dass einmal hier am Schilfmeer ein Heer seinen Untergang fand und die Erinnerung an ein solches Ereigniss auf die Ausgestaltung der israelitischen Sage einwirkte." Der Aufenthalt Israels in Aegypten im Lichte der aegyptischen Monumente.[4] Leipzig. p. 46.

2) Cornely. Comm. in 1 Cor. pp. 270-273 in Zeitschr. für kath. Theol. 1908. p. 241 nota.

β) Quod indolem miraculosam problematis spectat, alii, v.g. Bois Aymé [1], comes Bonaparti in expeditione aegyptiaca, J. Salvador [2] Judaeus, illud omnino naturali modo, i.e. traiectione vado atque aestu aquam diminuente, explicare conantur.

Ex recentioribus similiter quaestionem explanant v.g. Bonacorsi [3] et Koch [4]; hic fusius exponit quomodo Hebraei mare transierint:

Moyses ad littus occidentale maris vel sinus veniens videt aquas vento vehementi repelli et in hac re signum Dei faustum agnoscit. Noctu igitur Israelitas per maris alveum aquis fere denudatum in littus orientale traducit. Aegyptii quoque mare intrant, sed in curribus suis non tam facile eos sequi possunt; mane ventus mutatur, aquae in locum suum revertuntur et persecutores operiunt. Hoc factum naturale virtute poesis transformante miraculose expolitum est.

Ad rem P. Lagrange bene observat: „Il est vrai que Dieu fit un miracle, mais il n'est pas moins funest à l'exegèse d'aimer à grossir les miracles que

---

1) Notice sur le séjour de Hebreux en Egypte et sur leur fuite dans le desert. In Description de l'Egypte" 1809 I pp. 309-310; apud Legendre. Op. l. V c. 1225-1226.
2) Histoire des institutions de Moïse et du peuple Hebreu [3] 1862, pp 52-55. Ibidem.
3) Questioni bibliche, p. 91 sq.; apud Hetzen. Theol. bibl. p. 108.
4) Das zwanzigste Jahrhundert 1906 p. 382; Ibidem.

d'en avoir peur; il faut tenir compte des causes secondes indiquées par la Bible: elle assigne le vent d'est[1].

Miraculum in transitu maris Rubri certe agnoscimus; sed quale solvendum est

Ille רוּחַ קָדִים est ventus vehemens ab oriente flans; quum vero Hebraei ventum tantum secundum quatuor principes partes coeli distinguerent, potest etiam esse ventus sub ab oriente. Raro ventus flat ab oriente; mensibus autem Aprili et ineunte Maio saepe vehemens habetur auster ad orientem vergens, ut plurimum ter viginti quatuor horis; cui accedit violentior etiam boreas ad occidentem vergens, undas ex angusto sinu in apertius mare propellens, marisque alveum prope Suez fere denudans; quo tempore, aestu recedentibus aquis unus a peditibus etiam angusto aliquo Suez vado traiicitur. Sed vento ad austrum transeunte, aquae iterum in extremum sinum irruunt, altitudinis sex vel novem pedum[2]. Itaque ille ventus in angusto mari summam vim exercet, praesertim tempore aequinoctii verni, quum ventus sit validus. Quae cum ita sint, ventum ad aquarum divisionem (Ex. 14, 21) aliquid contulisse, facile concedimus,

---

1) Revue biblique 1900, p. 79.
2) Ebers. Durch Gosen zum Sinai[2] p. 101 sq., apud Hummelauer. l. c. p. 148.

omnia praestitisse non assentiuntur[1] nam si ille ventus validus divisionem aquarum unus efficeret, deberet, quamdiu ea divisio, tamdiu ipse perdurare, toto, scilicet, tempore, quod Hebraei mare traiciendo impenderunt; qui „ventus vehemens et arens" Hebraeis quam maxime adversum esse deberet; liberis, gregibus iter plurimum retardaret, imo impossibile redderet.

Quod difficultatem ob miraculum augendum ob aquas muri instar eminentes attinet, observandum est rem ad verbum describi. Hebraei enim numero plurimi cum gregibus permultis (Ex. 12, 38) haud integram noctem (Ex. 14, 20, 24) mare traiciendo insumserunt, ergo non angusto aliquo vado, sed lato tractu mare transierunt. Cum medio illo tractu incedebant, ex utraque parte procul revolutas aquas aspiciebant. Muro hae comparantur, quod muri instar tractum illum concluserint; non necessario enim altitudo affirmanda est; vox enim חוֹמָה[2] circiter 125ies in Scriptura Sacra occurrens, denotat non tantum moenia urbis, muros templi (Ez. 40, 5; 42, 20; Thr. 2, 7), munitam urbem (Lev. 25, 29) sed etiam omne quod ad instar urbis munitae solidum atque ad resistendum aptum est.

---

1) Hummelauer, Op. l., Ibidem.
2) Zeitschrift f. kath. Theol. Op. c. pp. 243-245.

(Jer. 1.18; 15, 20). Itaque חוֹמָה omne genus propugnaculi, i.e. sensu requisito ad textum laudatum l. Exodi, designare potest.

Porro versiones: alexandrina, syriaca, aethiopica, coptica hebraicum חוֹמָה expressionibus praeter scriptam significationem, sensu latiori reddunt: praesidium, propugnaculum, interseptum et similiter.

Ceterum nulla causa instrumentalis elevationis aquae mari instar in sacro textu proponitur.

Equidem ventus vehemens divisionem aquae efficere potest, nequaquam tamen murum immobilem ex aquis praestare, aliud enim magnum miraculum requireretur, cuius tamen nulla mentio est in scriptura sacra.

Primo quidem obtutu difficultatem oferunt: Ex. 15.18 et ps. 77, 13; sed in illis carminibus res poetice describitur, figuratae expressiones ideas pingunt.

Denique ipsa experientia docemur, videlicet in vasto maris littore stantes, quo tempore aestus aut procedat, aut recedat, nos undas procul valli, utique non alti instar et quasi ex altiore loco imminentes conspicere.

V. P. Fol. 9. — Professor: A. P. Grigoi...

Quae omnia innuunt, quomodo auctor sacer rem non secundum scientificam rationem, sed ad oculum pingens, aquas h. l. muro late sumpto comparare potuerit.

Igitur ad hoc portentum, ut ad plagas in Aegypto, causae naturales aliquid contulerunt, scilicet, miraculum quoad modum tantum fuit.

Reapse, si tota res ab initio inauditis plane miraculis constitisset, Aegyptii nullis minis compulsi essent, ut Israelitas per mare persequerentur, nam illud non fert humana natura.

Fontes adhibiti:

1. Legendre. Mer Rouge, in Dict. de la Bible Vigouroux V, 1205-1217, fasc. ex 1910 a.
2. D'Alès. Dictionnaire apolog. Egypte. 1308-1309.
3. Hagen. Lexicon biblicum. Mare Rubrum 3, 100-101; 1910 a.
4. Herzog. Realencyklopaedie. Rotes Meer. op. Guthe. 12, 497-501.
5. Hummelauer. Commentarius in Exod. et Levit. Paris 1897, ad Ex. 14
6. Dillmann-Knobel. Die Bücher Exodus und Leviticus.[2] Leipzig, ad Ex. 14.
7. L. Szczepański S. J. Der Durchzug der Israeliten durch das Rote Meer. Zeitschrift für katholische Theologie. 1908 pp. 230-253.
8. Lagrange. L'itineraire des Israelites. Revue biblique 1900 pp. 63-86.
9. Vigouroux. La Bible et les découvertes modernes II pp. 350-439.
10. Selbst. Handbuch zur biblischen Geschichte.[6]
11. Spiegelberg. Der Aufenthalt Israels in Aegypten[3] Leipzig. 1904.
12. Jeremias. Das alte Testament im Lichte des alten Orients.[2] Leipzig.
13. Maspero. Histoire ancienne des peuples de l'Orient classique. Paris 65 a.

ТИП. ЛИТ. Я. РАШКОВА. С. П. Б.

Manna Israelitarum

a) Nomen [1]

Juxta Ex. 16, 31 Israelitae nomen cibi a Deo in deserto concessi מָן appellaverunt. Vulgata et Septuaginta eandem formam retinent: man, μάν - Ex. 16. 31. 33. 35, reliquis vero locis ponunt: manna, μάννα.

Quod nomen in omnes fere versiones ac linguas transiit. Ortus eius repeti solet ab illa exclamatione admirantium, qua ad primum aspectum manna, unusquisque proximo suo dicebat: מָן הוּא (Ex. 16, 15).

In nomine explicando graves difficultates occurrunt. מָן non est vox hebraica, sed pronomen interrogativum aramaicum, designans: „quis" (Ezdr. 5, 3. 9; Dan. 3, 15), non „quid"; hinc factum est, ut Symmachus מָן הוּא verterit: τίς ἐστιν τοῦτο.

Sola lingua Syriaca posterior novit formam: מָן = quid.

Defensores illius interpretationis: „Quid est hoc" veteres quidam (v. g. Bochart, Grotius) immerito recurrunt ad assertionem Hiskuni, מָן esse interrogativum Aegyptiorum.

Neque felicior est coniectura, quam proposuit

1) Cladder. Apud Hagen. Lexicon bibl. III, 84-87.

L. Reinke (Beiträge zur Erklärung des alten Testamentes V, 316-322) aramaismum illum מָן facile intelligi ex eo, quod Iacob ex Aram utramque duxerit uxorem ac filii eius fere omnes diutius in Aram vixerint.

Kaulen vero (Wetzer u. Welte. Kirchenlex.[2] VIII, 615) mere asserit hanc formam esse veterem semiticam, quae licet in litteratura hebraica non inveniatur; in ore tamen populi servata est.

Neque Buhl (Hebr. u. aram. Wörterbuch[14], p. 391 מָן I. II) feliciter explicat, qui Kautzsch (Gram. d. bibl. aram., p. 61) allegans, cogitare videtur de ן afformativo, et rationem profert solummodo eam, quod contextus Ex. 16, 15 hunc sensum postulat (מָה-ן).

Aliae derivationes ad explanandam vocem מָן ab aliis propositae sunt, qui partim semiticam, partim alienam originem defendunt.

Ita Fürst (Concord., p. 648), quia Num. 11, 7 manna comparatur cum בְּדֹלַח, quod ipse tenet significare margaritam, nomen derivat a sanscrito: mani = margarita.

Rabbini (ap. Buxtorf, diss. de manna in Ugolini: Thes. VIII, 587-92) generatim a verbo מָנָה = constituit, hinc = portio, donum, nomen repetunt; vel a radice מנן = divisit, benefecit alicui (Gesenius. Thesaurus. II p. 799), ut sit = donum.

beneficium, scilicet, Dei vel coeli. Huic congruit arabicum: mann es-samá = donum coeleste, quo nomine Arabes manna naturale designant.

Sed significatio: donum Ex. 16,15 aptum sensum non facit. Ut comma illud: ignorabant enim quid esset, commodum sensum habeat, constructio interrogativa retineatur oportet (Zenner. Zeitschrift für kathol. Theol. XXIII, 164-66; 367). En sunt praecipuae explicationes nominis מָן.

b) Descriptio biblica de manna.[1]

Ex. 16; Num. 11, 4-9 etc.

Quomodo manna Israelitis concessum sit, bis in Scriptura sacra determinate exhibetur: Ex. 16 et Num. 11, 4-9. Priore loco narratur manna datum esse, quum die decimaquinta mensis secundi ab egressu ex Aegypto (post medium mensem Maium vel initio Junii) Israelitae ab Elim (i. e. wadi Gharandel) profecti pervenissent in desertum Sin. Ibi ob cibi inopiam murmurantes coturnicibus et manna satiati sunt. (Ex. 16, 1ss.). Mane enim, postquam ros ascendit, apparuit in solitudine minutum quid coagulatum (מְחֻסְפָּס ἅπ. λεγ., Vg. vertit: pilo tusum), velut pruina in terra (v. 14), quasi semen coriandri,

[1] Op. c., 71-76

album (v. 31). Gustus eius erat quasi similae cum melle (צַפִּיחִת ἅπ. λεγ. = placenta; ἐγκρίς LXX est libum cum oleo et melle praeparatum; simila Vulg. significat farinam triticeam optimam).

Manna autem colligebatur summo mane, quia, quum sol incalesceret, liquefiebat. (v. 21). Quum aliqui contra praeceptum Moysis ex eo reliquissent usque in mane, vermibus scatere coepit et computruit. (v. 20). Quum vero die sexta duplum collegissent atque in sabbatum servarent, non computruit neque vermis inventus est in eo (v. 23-24; cf. v. 5). Ipsa die sabbati, uti Moysès praedixerat, nihil invenerunt, qui neglecta prohibitione egressi sunt (v.v. 25-27). Colligere solebant gomor unum per singula capita; nec qui plus collegerat, quum mensi essent ad mensuram gomor, inventus est habere plus, nec qui minus paraverat, reperit minus quam gomor singulis iuxta numerum animarum, quae habitabant in tabernaculis eorum (v.v. 16-18). Die autem sexta invenerunt duo gomor per singulos homines. (v. 22) Est autem gomor decima pars ephi (v. 36), i.e. 3,9 vel iuxta alios 3,6 litra. Gomor quoque unum ab Aarone iussu Moysis in vase repositum est coram

Domino servandum in futuras generationes (v.v. 32-34). Filii autem Israel comederunt man quadraginta annis, donec venerunt in fines terrae Chanaan (v. 35); sed eousque illud ignoraverunt. (v. 15; Dt. 8, 3. 16).

Altera descriptio Num. 11, 4-9 a praecedente diversa quaedam exhibet.

Occasio descriptionis est murmur populi de ipso maña. Eodem fere tempore anni Israelitae versantur, brevi, scilicet, post diem vigessimam mensis secundi anno secundo ab exitu ex Aegypto (Num. 10, 11; cf. Ex. 16, 1); eademque fere in regione, nimirum inter montem Sinai et sepulcra Concupiscentiae (Num. 10, 12; 11, 34; cf. Ex. 16, 1; Num. 33, 16). Eodem quoque diei tempore, nocte, scilicet, quum ros descenderet, pariter et man descendebat. (Num. 11, 9; cf. Ex. 16, 31). Quod erat quasi semen coriandri, aspectu בְּדֹלַח (Vg: coloris bdelii; cf. Ex. 16, 14 in similitudinem pruinae). Sapor tortularum e manna paratarum erat quasi panis oleati. Denique Num. 11, 8 tantum legitur populus manna fregisse mola vel trivisse in mortorio et coxisse in olla, faciens ex eo tortulas.

Itaque ambae descriptiones concordant

in indicando tempore anni et diei, quo manna datum est, in designanda regione, in ipsis qualitatibus, quae manna tribuuntur. Dumtaxat de modo praeparandi manna in cibum non eodem modo loquuntur nec de sapore, quod fortasse inde explicatur, quia oleum accipi potest sensu generaliore pro re orientalium palato gratissima. Insuper Ex. 16 varia leguntur miracula, quae circa manna facta sunt, et imprimis huic relationi propria est connexio cum lege sabbati ac cultu.[1]

Reliqui textus s. Scripturae de manna.

In libro Josue 5,12 narratur manna defecisse post primum pascha in Gilgal celebratum. Praeterea inter maxima Dei beneficia et manna enumerari solet: Dt. 8, 3.16; Neh. 9, 15.20; ps. 77, 19-25. Fusius vero Sap. 16, 20-29 praedicatur divina providentia, quae in exodo, prout in Aegyptios omnium elementorum furorem verterat (v.v. 16-19), ita in salutem iustorum vires eorum temperavit. Hic loci effertur, manna omnium gustui sese accomodasse (v. 20.25);

1) Qui in Pentateucho fontes distinguunt, narrationem de manna Num. 11,4-9 elohistae (E) vel compilatori (JE) tribuunt, descriptionem vero Ex. 16. codici sacerdotali (P.) vel ultimo redactori (Rp) assignant, ita ut iuxta analysim fontium Num. 11 esset documentum antiquius quam Ex. 16.

illud igni restitisse (v.v. 22.27) etc. Quae pericopa est rhetorico-poetica, prout totus liber Sapientiae, quapropter poetica veritas (in difficultatibus explicandis) quaerenda est.

In Novo Testamento pluries mentio de manna occurrit. Apud Io. 6 Iudaei a Christo signum petunt, quod respondeat signo facto in manna deserti (v. 31). Ipse vero Dominus magnitudinem illius panis deprimit ac verum panem de coelo a Patre dandum promittit. Communis exspectatio videtur fuisse apud Iudaeos tempore messiano miraculum manna renovatum iri.[1]

Reliqui N. T. loci, qui de manna loquuntur, sunt: 2 cor. 8, 15, ubi Ex. 16, 18 adhibetur in exhortatione ad beneficentiam; Hebr. 9, 4, ubi de manna in Sanctuario servato est sermo; Apoc. 2, 17, ubi manna absconditum promittitur vincenti in pugna huius saeculi.

Nihil igitur textus posteriorum librorum ad ipsam in Pentateucho descriptionem manna addunt, nam sive illud tantum commemorant, sive hisce descriptionibus nituntur.

1) Pluries enim in scriptis pseudepigraphis haec exspectatio exprimitur: Or. Sibyll. (ed. Geffeken VII, 148 s.), Apocal. Baruch (ap. Kautzsch. Pseudep. d. a. T. 29, 7s.) Verum quidem est haec scripta esse post Christum natum nec carere additamentis christianis. Nihilominus Sap. et Philo ostendunt haec a Iudaeis non fuisse aliena. Philoni enim manna est ipsa sapientia, Verbum Dei (Λόγος), qui est cibus animae, est petra illa, de qua populus sugebat mel et oleum (Dt. 32, 13). Nomen eius est τί, essentia maxime generica, qualis post Deum est prae omnibus rebus Verbum Dei (Leg. alleg. II, 84. 86 [ed. Mang. 1, 81a]; III, 161-181; De fuga et inv. 137-139; cf. Vita Mosis 1, 191-209; II, 258-269 etc.)

c) Manna naturale [1]

Usque in praesentem diem observatur iisdem in regionibus atque eodem anni tempore, quibus manna Israelitis missum narratur Ex. 16 et Num. 11, 4-9, phaenomenon aliquod singulare, quod ad comparationem cum manna biblico provocat.

Inde a wadi Gharandel reperitur hodiedum tamarix mannifera, arbor in viginti fere pedum altitudinem excrescens; in wadi Feiran eius conspicitur silva horae fere longitudinem habens. In parte orientali paeninsulae Sinaiticae non videtur inveniri. Rami eius sat rigidi minutis foliis deltoideis semper virentibus operiuntur. Vere ramusculi recentes racemos flosculis rosei coloris compositos portant. Inde autem a mensibus Martio et Aprili aer in illis silvis forti aromate perfunditur, quod non e floribus aut foliis, sed ex ipsis ramusculis proficiscitur atque sequentibus mensibus etiam augetur. Quum vero versus finem Maii vel mensibus Iunio et Iulio, interdum usque ad Augustum calor maximus adveniat, ex ramis, probabiliter ob perforationem corticis per insectum aliquod, nocte guttulae

1) Ibidem, 69-70.

profluunt, coalescunt et partim in terram decidunt. Sunt autem magnitudine, ut semen coriandri vel pruina, coloris albi vel flavescentis, consistentes velut cera et sapore sicut mel. Quumque radii solis incalescant, ipsae liquescunt et a terra absorbentur. Arabes hanc substantiam vocant: mann vel mann es-samá, i. e. manna coeli, eo quod putant illud plui de coelo. Summo mane colligentes manna coquunt et per pannum rudem exprimunt, ut a foliis, arena etc. conglutinatis purgent, atque ita per annum et amplius ex eo servant. Partem ipsi consumunt, quum illud velut mel panibus suis azymis infundunt, partem monachis s. Catharinae in monte Sinai tributi cuiusdam instar solvunt vel in Aegyptum vendunt. Uberrima est messis post uberes pluvias vernas, interdum vero ob ariditatem tota messis excidit. Annis prosperis per totam peninsulam manna ad 500-700 libras colligitur. Extra peninsulam manna tamaricis nusquam videntur observasse, ne iis quidem locis, quibus arbor ipsa frequens invenitur.

d) Solutio problematis de manna biblico.

Plerique S. Scripturae catholici interpretes, maxime antiqui et nonnulli ex recentioribus, v. g. Danko (Historia V. T., p. 124 sq)

Kaulen (Kirchen lexicon VIII, 615 sq.), Zschokke (Historia a. T.[5], p. 87), Selbst (Handbuch z. b. S. d. a. T.[6], p. 397 sq.), Vigouroux (La Bible et les découvertes modernes II, 466), Hetzenauer (Theologia biblica, pp. 113-114) aliique in manna biblico miraculum quoad substantiam statuunt, scilicet, manna inaudito atque constanti miraculo, etiam proprietatibus naturalibus eius mutatis esse concessum.

Independentes autem critici narrationem de manna sive ad fabulosa referunt, sive recentiores, ut v. g. Holzinger (Exodus, p. 53), Baentsch (Exodus p. 150 sq.) aliique, omnino naturali modo manna biblicum explicare conantur, videlicet, asserunt, Israelitas in deserto manna naturale comedisse, in fama autem postera naturale hoc factum splendoribus miraculi circumdatum esse.[1]

Sed veritas in medio stare videtur. Etenim primo, utraque occasione[2], qua manna Israelitis datum esse narratur (Ex. 16 et Num. 11, 4-9) iis in locis erant, in quibus manna ex tamarice invenitur. Eo tempore anni dicitur panis ille coelestis descendisse, quo naturale manna colligi solet. Eo diei vel noctis tempore cum rore super terra conspiciebatur, quo naturale. Unum et alterum manna sole incalescente dissolvitur. Aspectus externus, qualis duobus capitibus describitur, omnino is est, quem manna naturale praebet, idem quoque est sapor (Ex. 16, 31)

Eiusmodi multiplex convenientia fortuito adesse non potest. His rationibus muniti concludimus, eventibus Ex. 16 et Num. 11, 4-9

1) Hetzen. op. c., p. 114; 2) Hagen. op. c., 77-83.

narratis subesse messem manna naturalis, sicut plagis Aegypto inflictis subsunt plagae illi regioni naturales.

Secundo, minime autem propterea neganda est specialis Dei in his rebus providentia; itaque substantiam facti esse naturalem contendentes, directam Dei interventionem fuisse asserimus.

Etenim Moysen ex revelatione Dei diem et horam determinate annuntiare, quibus manna descendat (Ex. 16, 6-12), miraculum fuit. Porro secta die duplum (16, 22), sabbato autem nihil inveniri (16, 16), naturaliter explicari non potest. Servatum manna contra Dei praeceptum statim corrumpi (16, 19s.), plus missum in sabbatum (16, 24) et servandum in futuras generationes coram Domino (16, 32-34) incorruptum manere, certe alterutrum non ex natura rei provenire dicendum est. Quantitatem iustam semper Israelitis praesto fuisse (16, 21), Dei providentiae hoc est tribuendum.

Quae circumstantiae in manna biblico prodigium agnoscendum esse adigunt, i. e. copiam ac virtutem manna naturalis auctam esse indicant.

Quod alia discrimina inter manna biblicum et naturale spectat, nihil cogit pluviam-manna de coelo (16, 4) ad litteram sumere adeoque miraculum augere; nam ex una parte populus vidit effectum tantum eiusmodi pluviae (16, 14s.), neque dicitur alio modo de coelo descendisse manna quam ros (Num. 11, 9);

ex altera parte communis erat veterum opinio, mel descendere de coelo per modum roris (Arist. Hist. animal. V, 22; Plin. Hist. natur. XI, 12...) Imo Arabes nunc quoque de manna idem dicunt. Nil mirum igitur, si de coelo fluere dicitur in s. Scriptura iuxta omnium antiquorum opinionem.

Porro quod difficultatem attinet, per quadraginta annos quotidie manna descendisse adeoque per magnum miraculum, hoc nullibi dicitur. Ex. 16, 35 quidem legitur filios Israel comedisse man quadraginta annis; v. 4° promissum erat in singulos dies et v. 5° duplum in diem sextam; quare Israelitae prohibentur (v. 19), quominus quidquam in crastinum servent aut die sabbati (v. 25s.) colligant.

Sed haec, quae facta sunt, ut Deus populum tentaret (v. 4), videntur esse facta singularia et nulla ratio cogit admittere, quum manna naturale facile servetur, Deum continuo hoc duplex miraculum operatum esse, quo manna sequenti die corrumperetur et die sexta quidem duplum, sabbato vero nullum manna inveniretur. Hinc s. Scripturae satisfit, si dicitur quadraginta annis manna adfuisse, licet singulis annis paucorum mensium tantum messis habita sit.

Denique alia difficultas movetur ex quantitate Israelitis requisita, si comparetur ei, quod nunc colligitur. Messis in integra peninsula nunc non excedit 700 libras. Israelitae, qui per quadraginta annos manna aliti sunt, ex Num. 1, 20-46 et 26, 5-62 censen-

tur fuisse saltem vicies centena millia hominum. Ab his singulis diebus colligebatur per singula capita unum gomor (Ex 16, 16), i.e. fere 4 litra. Quae quantitas, 7-8 milliones litrorum quotidie immanis est, nec naturaliter producitur.

Sed numeri in V. T. generatim difficultates creant, quas h. l. Flinders Petrie (Researches in Sinai, pp. 209-213) ita tollere conatur, ut vertat אֶלֶף non: mille, sed: familia, quare manerent ut numeri capitum libri Num. 1 et 26 tantum 5550 et 5730, qui numeri omnibus rerum conditionibus facerent satis.

Ex altera parte non est dubium[1], quin peninsula Sinaitica antiquitus multo frequentioribus arboribus consita fuerit, atque nunc sit. Arabes quippe semper assueverunt arbores excidere ad carbones obtinendos, quos non suis tantum usibus adhibebant, sed in Aegyptum etiam divendebant; Mehemmed Ali, Aegypti satrapa, Arabibus Sinaitidis carbones pro tributo persolvendo imposuit; sed alias arbores pro excisis Arabes nunquam plantant. Factum est in Sinaitide, quod regio pridem nemorosa et fertilis, silvis autem succisis fere in desertum abiit. Exinde adsunt rationes affirmandi temperiem aeris longe aliam antiquitus in Sinaitide fuisse atque nunc est; quod sequitur ex frequentioribus arboribus silvisque, et hinc ex abundantioribus aquis fontium et rivorum. Quod inferre fas est analogice ex temperie adiacentis inferioris Aegypti, ubi abundabant papyri, nunc fere exstincti, crocodili, hippopotami. Coelum antiquitus in Sinaitide fuisse humidius, Ex. 16,13; Num. 11,9 innuunt, ubi dicitur rorem quotidie

1) Hummelauer. op. c., p. 172

adfuisse. Tot Hebraeorum greges vivere non possent, nisi alia aeris temperies, alia regionis indoles fuisse supponatur.

Ex dictis efficitur probabile, et tamaricibus antiquitus longe frequentioribus tractum a Sinaitide ad Jordanem obsitum fuisse, et manna, quod etiamnum annis humidioribus copiosius nascatur, in eodem tractu longe abundantius fuisse. Haec valde verisimilia nos docent, licet in peninsula Sinaitica ab Hebraeis quaedam facta narrentur, quae hodie ibidem fieri nequeant, inde tamen nequaquam effici ficta narrari, sed suggeri non talem plane tum Sinaitidem fuisse, qualis nunc sit.

Ceterum in Scriptura s. manna non dicitur fuisse **unicus** populi cibus per illos quadraginta annos. Et Ex. 16, et Num. 11 una cum manna coturnices mittuntur; praeter numerosos greges, quos Israelitae ex Aegypto abduxerant (Ex. 12,38) quosque semper habebant (Ex. 17,3; 34,3; Num. 20,4.8.11.19; 32,1), imo augebant ex praeda (Num. 31,9.32s) Hebraeis praesto erant eadem sustentationis media, quibus Amalecitae, Madianitae, Edomitae vivebant: praeter carnes, lac, etiam pisces ex mari Rubro, dactyli, locustae etc.; neque generatim frumentum deerat, ut patet ex praeceptis Pentateuchi circa sacrificia (cf. Lev. 8,2. 26.31s.; 9,4; 10,12; 24,5s.; Num. 7,13ss.); ubi autem non suppetebat, emi poterat (cf. Dt. 2,6).

Quinimo ex ipso textu sacro elucere videtur, ne principale quidem alimentum manna fuisse, nam Num. 21,5 populus queritur: „Deest panis, non sunt aquae: anima nostra iam nauseat super cibo isto levissimo." Licet itaque manna habuerint, dicunt tamen panem deesse.

Memoria igitur eius conservata est prae ceteris ob rei novitatem et posteriorum temporum ignorantiam de manna naturali; Israelitae enim aeque ac patres eorum ad id tempus manna ignoraverant. (Dt. 8, 3. 16)

Quae cum ita sint, ex dictis concludimus: substantiam narrationis de manna biblico esse phaenomena illa naturalia, quae de manna naturali ad praesentia usque tempora in eadem regione observentur et miraculum tantum quoad modum fuisse. Itaque iure merito Hummelauer[1] S. J. animadvertit: „Non oportere a limine excludi eorum placita, qui manna biblicum cum aliquo eventu naturali comparent, dummodo illud non e solis causis naturalibus explicent. Cum enim plagae aegyptiacae omnes, imo ipse transitus Maris Rubri, licet plura in his facta sint super naturam, tamen probabiliter videantur revocanda ad eventus quosdam consentaneos conditioni Aegypti, non sunt impietatis damnandi ii, qui simile quid de manna affirmant. Intime connectit scriptura portentum coturnicum cum portento mannae: fuit vera avis coturnix, prodierit e vera planta manna."

Litteratura.

1. Antiquiorem fuse collegit Reinke. Beiträge zur Erklärung des alten Testamentes. V 308-313 in op. „Das Manna der Israeliten", pp. 307-311.

2. Noster labor conscriptus est secundum: H. J. Cladder: Manna, in Lexicon bibl. Hagen III, 69-89, qui etiam recentes fontes tradit.

3. Hummelauer S. J. Com. in Ex. et Num., ad utramque descriptionem de manna.

4. Vigouroux. La Bible et les découvertes modernes. II, 459-472.

5. Hetzenauer. Theologia biblica, pp. 111-114 ibique.

[1] Op. c. p. 171.

Professor: A. P. Grigaitis

Jericho in Scriptura sacra et per recentissimas effossiones.

a) Status rei.

Rationalismus germanus s. 19ⁱ, recentiorem originem Pentateuchi vindicans, multis factis in eo narratis praesertim indole supernaturali, historicam veritatem denegavit; quinimo Librum Jozue ad idem opus sub nomine Hexateuchi (Wellhausen. Prolegomena, p. 7) retulit atque illius praecipuos eventus item historice impugnavit.

Insignem locum in libro Jozue tenet narratio de occupatione ab Izraelitis Jericho, de qua critici usque ad recentissimas effossiones vario modo opinati sunt.

Independentes, v. g. 1) Gramberg, Ed. Reuss[1] aliique illud mythis adnumerant; Jeremias[2] motiva mythi astralis in expugnatione Jericho supponit.

2) Bauer, Hartmann, Ewald suffossionem murorum urbis aut expugnationem repentinam

---

1) L'Histoire sainte et la Loi. I, p. 79, apud Vigouroux Les livres saints et la critique rationaliste. IV, 453.
2) Das A. T. im L. d. A. O², p. 468-469.

ТИП. ЛИТ. Я. РАШКОВА С. П. Б.

agnoscunt.[1] 3) Michaelis, Jahn[2] Klostermann, Oettli[3] propter terrae motum urbem periisse censent. 4) Recentissimi ut Bonaccorsi (Questioni bibliche, 93), Koch (Das zwanzigste Jahrhundert, 522), Steuernagel (Josue 151) aliique illud traditionem popularem[4] cum veritate rerum non convenientem esse opinantur.

Itaque ad rem explanandam et problema solvendum Jericho urbs in Scriptura sacra atque in recentissimis effossionibus examinanda est

b) Jericho in Scriptura sacra.

Jericho[5], nobilis Palaestinae urbs, sita erat versus orientem ab Hierosolymis, haud procul a Jordane inferiore et mari Mortuo, prope collem Quarantania, in extrema parte fertilis planitiei. Jericho ianuam et clavum ad Terram sanctam efficiebat, expugnata viam populo electo ad eam occupandam aperuit; nil itaque mirum, quod Scriptura sacra eius saepius meminerit.

Ante Josue Jericho commemoratur frequenter ad

1) Zschokke. Historia A. T.[5] p. 160
2) Ibidem
3) Korzonkiewicz. Jehošua. Kraków 1909, p. 150 adnot.
4) Hetzenauer. Theologia biblica, p. 141.
5) Cf. Hagen. Lexicon biblicum II, 654-657; Meistermann. Nouveaux guide de Terre sainte p. 269-270; Hetzenauer. op. c., pp. 139-141; Vigouroux. Dict. bibl. 3, 1292 ss.

describenda campestria Moab, quae supra Jordanem contra Jericho sita dicuntur. (Num. 22,1; 26,3.63; 31,12; 33,48; 35,1; 36,13). De monte Nebo (Dt. 32,49; 34,1) Moyses, terram promissam contemplans, vidit latitudinem campi Jericho civitatis palmarum, usque Segor. (Dt. 34,3).

Praecipuus eventus urbem respiciens enarratur in l. Josue cap. 6, videlicet expugnatio miraculoso modo ab Israelitis primo loco post transitum Jordanis. Deus ipse Josuen praemonuit, quomodo urbs capienda esset. Oboedientes Deo Israelitae septem diebus urbem circumierunt, nempe exercitus armatus praecedebat, septem sacerdotes cum tubis aliique sacerdotes arcam Domini portantes sequebantur, caeteri Israelitae agmen claudebant. Quolibet priorum sex dierum semel urbem circumierunt; sacerdotes tubis sonos breves edebant, reliqui autem tacebant. Septimo deinde die urbem septies circumierunt; sexies eodem modo ac diebus praeteritis, in septimo demum circuitu sacerdotes sonos longiores ediderunt omnisque populus vociferatione maxima conclamavit. Tum muri corruerunt et Israelitae urbem intrarunt, unusquisque eo loco, quo stabat. Omnes homines, Rachab cum sua cognatione excepta, et cuncta animalia occiderunt; urbem quoque omnesque res eius incenderunt, exceptis auro et argento ac vasis aeneis et ferreis, quae in sacrarium Domini dedicaverunt.[1]

1) Hic adest notum apud Hebraeos anathema: חֵרֶם

Illo tempore Iosue Jericho imprecatus est dicens: „Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit et aedificaverit civitatem Jericho! In primogenito suo fundamenta illius iaciat et in novissimo liberorum ponat portas eius" (6, 26). Quibus verbis munitionem non autem meram reaedificationem sub poena gravissima prohibuit[1] nam ipsa urbs tribui Beniamin assignata est (Jos. 18, 12. 21); periodo Iudicum Eglon, rex Moabitarum, urbem palmarum possedit (Iud. 3, 13) et sub Davide nuntii, ad regem Ammonitarum missi, ab eoque turpiter confusi, Jerichunte manent (2 Sam. 10, 15).

Post schisma tempore regis Achab homo quidam de Bethel nomine Chiel muros Jericho reaedificavit, maledictione Iosue obstante. Poena adimpleta est, nam primogenitus eius mortuus est, quum murorum fundamenta poneret, minimus natu morte sublatus est, quum portas aedificaret. (3 Reg. 16, 34).

In fatis Eliae et Elisaei patet scholas prophetarum prope Jericho fuisse. Elisaeus aquas fontis Jericho pessimas sale immisso sanavit (4 Reg. 2, 19-22.)

Post captivitatem Babyloniam duce Zorobabel redierunt 345 „filii Jericho" (Ezdr. 2, 34; Nehe. 7, 36) et absque dubio Jerichunte habitabant, nam viri Jericho Nehemiam in muris Jerusalem aedificandis

[1] cf. Hetzen. Op. c., pp. 139-140.

adiuvarunt. (Neh. 3, 2). Aetate Machabeorum Bacchides, dux Syrorum, Jericho munivit (1 Mach. 9,50).

In evangeliis leguntur sanationes caecorum (Mt. 20,29ss; Mc. 10, 29ss.; Lc. 18, 35ss.) commoratio Domini in domo Zachaei Jerichunte (Lc. 19, 1ss)[1]


Postea periodis Romana, Byzantina, Arabica fausti, saepius adversis perpessis tandem saeculo 16° opulenta quondam urbs locus desertus evenit.

Hodie Jericho est vicus exiguus nomine el-Richa. Circiter ante quadraginta annos paucis parvis domibus Arabum constabat. Deinde hospitium Russorum cum ecclesia aedificatum est, tabernae ad usum viatorum constructae sunt. Campus Jericho olim fertilissimus hodie palmis fere caret; naturalis quidem conditio soli non est mutata, verum plurimorum bellorum vastationes, rapinae Beduinorum continuae, pigritia incolarum urbem et campum in sterilitatem atque egestatem coniecerunt[2]

---

1) Immediate ante Christum Herodes Magnus Jericho occupavit, ut ex Josephi Flavii: Bell. Jud. I. 15, 16 patet atque splendide ornavit (Bell. Jud. I. 21, 4); ob calidam consuetudinem ~~aeris~~ ~~~~ ~~is~~ domicilium hiemale sibi fixit atque ibi mortuus est. (Bell. Jud. I. 33, 6-8)

2) Situs antiquae urbis (I) magis versus occidentem et septentrionem a moderna quaerendus est. Ex Jos. Flav. (Bell. Jud. IV. 8,3) discimus antiquam urbem sitam fuisse prope fontem copiosum, postea Elisaei vocatum. Hic fons autem agnoscitur Ain es-Sultan ad radices montis Quarantania positus ab hodierno vico el-Richa (III) circiter 25 min. itineris distans. Jericho vero Herodiana sita fuit in wadi el-Kelt circa 2 klm. versus meridiem a fonte Ain es-Sultan seu antiqua urbe et versus occidentem a moderna el-Richa.


Jericho
post effossiones 1907-09.
Tell-es-Sultan
Jericho Canaanea
Horti
El-Riha
Wadi Kelt
Jericho Herodiana
Kilometra
Murus cum lateribus fossarum effossus usque ad imam partem.
Murus delineatus ope fossae.
" Suppletus per explorationes
Summa terra, diversa altitudine purgata
Via publica versus planitiem
'Ain es-Sultan
Horti
Palatium
Porta?
0 10 20 30 40 50 60 70
Metra
AK.
'Ain es-Sultan
Tell es-Sultan
0 50 100
Metra

c) Effossiones circa Jericho.

Mense aprili 1907 a. Dr Ernest Sellin, tunc temporis professor Vindobonensis, ad emolumentum Austriae effossiones in antiqua urbe Jericho incoepit. Ipso initio parum profecit. Inventa sunt instrumenta lapidea, aenea, res fictiles, vdl. magnae amphorae in loco domorum chananaeorum; duae secures aeneae; idolum ex lapide forma humana, altum 0,2… laboris valde simplicis etc.

Anno 1908° prof. Sellin sedem docendi ex regia urbe Austriae in universitatem Rostock[1] Germaniae mutavit. Eo ipso exp…rationum circa Jericho proprietas transiit ad germanam societatem: „Deutsche Orient-Gesellschaft". Directorem effossionum adiuvabant: peritus architectus Langenegger et eruditus archaeologus Watzinger[2]

Tumulus terrae circa fontem Elisaei locum excavationum constituit. Ipse collis effossionum est circa 360 metra longus et 160 metra latus[3]. Basim efficit depressus continuus tumulus circa 10 metra altus, forma ovo similis. Ex illo teli secundum prof. Sellin septem monticuli, ex ruinis formati assurgebant. Effossiones 1908° an.-1909 an. primo protulerunt

1) Meklenb.-Schwerin.
2) Anno 1909° autem in locum Langenegger successit architectus Noeldecke, qui quinque annis effossionibus in Babylonia interfuerat; eum adiuvabat architectus gubernii Schultze, qui hactenus Aegyptum explorabat. (Mitteilungen der Deutschen Orient-Gesellschaft. December 1909 № 41 p.1.)
3) P. Karge. Die Resultate der neueren Ausgrabungen und Forschungen in Palästina. Münster i. W. 1912, p.15.

fragmenta immanis muri, qui aggerem seu antiquam urbem cingebat. In diversis locis prope murum aperta terra per fragmenta conservata praestat hodie notitiam eius accuratam. Constructus fuerat in linea ovata, excepta parte meridionali-orientali parum angustiore. Longitudo muri in circumferentia attingit 778 metra.

Supra firmiter consolidatam terram ad instar coementi positum erat magnum prominens extra superiorem partem muri stratum lapidum 5-6 metra altum totidemque in basi fere latum, quod tali pacto suffossionem impossibilem reddebat; statim murus Chananaeorum analogice per anteactas effossiones in Gezer, Taanak, Megiddo recognitus est. Desuper altera pars muri e lateribus facta circa 2 metra lata elevabatur, quae secundum opinionem architectorum 6-8 m. alta fuerat; ex qua superiore parte dumtaxat duo fragmenta 2-4 metr. alta effossa sunt. Cum muri chananaei fenestellis iaculatoriis absolverentur, prout ex aliis arcibus deducitur, terra consolidata supportabat muros Jericho 12-15 metra altos supra circumiacens solum. Pars muri orientalis versus meridiem non est conservata neque per fragmenta, quae ad domos construendas deinceps probabiliter adhibita erant.

Studium attentum fragmentorum, quae secundum architectum Langenegger in basi adhuc antiquiorem arcem insinuant, artem in eligenda materia et modo constructionis manifestat. Omnes conditiones ad urbem defendendam contra aggredientes ope scalarum, suffossionum, arietum observatae sunt. Murus solidissime aedificatus erat, nam circumiacens planities impetum inimicorum undequaque

aperiebat.

Locus probabilis unius tantum portae in parte meridionali-orientali inventus est.[1] Eiusmodi propugnaculum cum fonte intra muros longe obsessionem sustinere potuit. Quod opus monumentale admirationem non tantum simplicis peregrinabundi, in fossis excavatis errantis, verum etiam periti architecti Langenegger provocavit.[2]

Sed hic murus solummodo externum praesidium efficiebat. Intra urbem, loco magis edito, collem urbis cingebat alter murus, fere parallelus primo, circa triginta metra ab alio distans. Fragmenta eius conservata sunt ab septentrionali parte analogice cum externo muro. Exploratores initio putabant hunc constituere acropolin urbis,[3] attamen in tractu excavationum comprobatum est internum murum arcis fuisse.[4]

Postquam operarii purgaverunt partem septentrionalem versus orientalem plagam directam, apparuit hanc insuper duabus turribus, octo metra latis, munitam fuisse. Ipsum murum autem 5,5 m. crassum fuisse inventum est. Explorata fragmenta muri diversam indolem innuunt, quod directionem atque renovationem indicat. In spatio intra illas turres murus internus alio adhuc muro intermedio, tribus metris ab interno distanti et 1,5 lato obfirmatus erat.

Praeter muros singulae res in domibus intra alterum murum effossae sunt, prout vasa maiora, quae tantum fragmenta exhibent, et minora integra. In his similitudo cum praehistoricis aegyptiis animadvertitur atque eiusmodi fragmenta in stratis Jericho dumtaxat cananaeis inventa sunt.

---

1) Revue biblique 1910. III p. 406. 2) Revue biblique 1909. II p. 271.
3) Mitteilungen. I, p. 22 ss. Revue biblique 1909. II, 273.
4) Mitteilungen. II p. 14. Revue bibl. 1910 II p. 406.

Post amidanum studium Langenegger aliique exploratores concluserunt illas munitiones ad periodum Cananaeorum, anteriorem adventu Israelitarum pertinere: munimina enim cananaea et vasa absque ullo vestigio culturae Israelitarum fuisse. Rimae in magnis fragmentis effossis subitaneam patefecerunt interruptionem vitae Irichunte plena periodo cananaea absque ullo elemento israelitico, quod urbem dirutam fuisse insinuat. In aliis autem arcibus cananaeis, ab Israelitis expugnatis, v.g. Gezer, cultura seminomadum Hebraeorum lente substituitur, adhuc indigena durante, ibi in fragmentis effossis compenetratio reciproca observatur.

Effossiones methodice continuatae in superioribus stratis protulerunt renovationem vitae Jerichunte post notabile tempus periodo Israelitarum et quidem ad decrescentiam vergente.

Centrum praecipuum vitae israeliticae constituit pars urbis circa fontem. Hic loci messis archeologica opulenta fuit, nam non tantum una alterave domus Israelitarum, verum etiam tota pars urbis cum plateis angustis et flexuosis atque transversis viis reconstrui potest; parvae domus cum atriis, complectentibus supellectilem destinatam ad provisionem recipiendam, circa parvam aulam cum pavimento ex luto consolidato et scamno ad quamvis parietem, effossae sunt[1]

Porro aedificium in extrema meridionali parte circa fontem effossum est, quod ab exploratoribus palatium[2] appellatum est. Simile est palatio hillani, quo nomine Assyrii inde a tempore Sargonis (722-705) illa occidentalia singularia aedificia vocant; eiusmodi loco Sendžirli in septentrionali Syria inventum est. Indicia archeologica illud palatium saeculo IX° attribuunt.

1) Revue bibl. 1910. III p. 410. 2) Sellin cf. Mitteilungen II p. 20 ss.

Excepto palatio tota urbs israelitica fuisse tantum pauper vicus videtur. Archaeologus Watzinger in iustum ordinem effossa fragmenta israelitica redegit, excepta autem, rerum orientalium peritus Sellin observationes suas praestitit atque ambo concluserunt per res effossas, alienas stylo antiquo cananaeo, similes graeco-phoeniciis ex insula Cypro, vitam in tumulo ab Israelitis ss. IX°–VIII° renovatam fuisse, vdl. tempore, quo influxus mediterranaeus per intermedios Phoenicios adnotatur: v.g. id probant cypricae amphorae, sepulcra puerorum sub fundamentis domorum, quae sive sacrificia humana in eis construendis, sive ritus singulares in sepultura parvulorum observandos etc. produnt.

Deinceps in septentr.-orientali parte tumuli (Nordstadt) praeter minoris momenti fragmenta, per excavationes res insignes inventae sunt, scilicet, plures amphorae fictiles, in ansis quarum impressa erant signa: יה et יהו (Jahô), decem cum illo et tres cum hoc. Quae voces ad alphabetum aramaicum pertinent, ex periodo V–III ante Christum natum, per similes inscriptiones in documentis Elephantinae (in Aegypto) effossis luculenter comprobatae sunt.

Evolutio palaeographica amphorarum tempori post exilium congruit. Quod scripturam antiquam, non autem aramaicam, qua signa exarata sunt, attinet, hoc sive periodum Nehemiae vicinam, sive consuetudinem officinae localis respicit.

Post varias coniecturas prof. Sellin conclusit illa signa nomen Dei ex in sorte generali iudaismi postexilici in memoriam immediate reducere[2]

Quidquid est de inscriptionibus amphorarum, illa vasa aliunde per effossiones in Aegypto et Palaestina nota, praesentiam vitae

1) cf. Revue bibl. 1904 II p. 276-277   2) Mitteilungen II Dezember 1906 pp. 26-27

iudaicae post exilium Jerichunte, adeoque periodo Persarum et Hellenistica demonstrat.

Postea i. e. aevo Machabaeorum Jericho rursus locus desertus evenit usque ad periodum Byzantinam, ex qua in stratis tell circa fontem atque in septentr-orient. plaga effossa sunt monumenta sepulcri cum opulenta supellectili: prout magnis amphoris fictilibus, plerumque ornatis, vasis vitreis, lapideis, aeneis, ferreis, nummis byzantinis etc. Sed ibi forsitan dumtaxat sepulcrum familiae erat, quod praesentiam tantum unius vel plurium villarum byzantinarum prope fontem absque renovatione urbis innueret.

Supra in stratis terrae sequuntur vestigia arabica, vdl. sepulcrorum, nam in colle prope aquam Arabes mortuos sepelire solent, sed inde de reaedificatione urbis nil eruitur.

Itaque effossiones circa antiquam urbem Jericho, quae ab a. 1907-1909 in toto septem menses durarunt, laborantibus circiter 250 operariis, per fossas diversis in locis tumuli excavatas, palam fecerunt post primum stratum arabicum, toto tell tenuiter dispersa vestigia culturae byzantinae, profundius praesentiam coloniae iudaicae postexilicae, porro haud insignem urbem praeexilicam Israelitarum, tum munitissimam arcem Cananaeorum; denique per excavationes 1909 a. fere in medio tumulo vestigia culturae anterioris, quam cananaea, vdl. post fragmenta fictilia cananaea duo metra profundius in solo inventa sunt instrumenta iam tantum silicea, quod professori Sellin argumentum praebet tumulum tertio vel etiam quarto

millenio inhabitatum fuisse.[1]

d) Lumen per effossiones.

Equidem signis in amphoris exceptis nullae inscriptiones in tell es-Sultan effossae sunt, sed peritissimus inter catholicos archaeologos Vincent O. P.[2] bene animadvertit facta archeologica propria lingua. Promontorium antiquissimum ad summum decem metra eminens supra circumiacentem planitiem cum pulchro fonte, raro occurente in Palaestina, incolas supra tria millennia ante nostram eram attraxit. Primi habitatores in usu quotidiano habent silicem, metalla autem et artem figulinam eamque elementarem ignorant; probabiliter huic periodo attribuendum est idolum lapideum simplici forma, 1907° a. ipso initio explorationum effossum et instrumenta silicea ultimi anni excavationum.

Post illud aerum periodus semitica succedit. Novi incolae urbis Cananaei adhibent metalla, nempe saltem aenea instrumenta; porro e luto siccato faciunt non tantum lateres ad domos construendas, verum etiam vasa fictilia diverso colore varia forma eaque subtili; agros colunt, quod conservatae magnae amphorae ad recipienda frumentum, oleum, vinum testantur; de securitate civium solliciti solidos muros urbis circa duo millennia ante Christum natum aedificant. Renovationes laesorum murorum, eorum in nonnullis locis perfecta reaedificatio circa XV s. innuunt urbem tunc temporis insignem haud evitasse expugnationem pharaonum ex XVIII dynastia[4]

1) Revue biblique 1910 III p. 409
2) Ex Academia biblica Hierosolymis
3) Revue biblique 1910 III p. 413-417
4) Cf. supra pp. 85-86. 95. Litterae Amarnenses innuunt.

Ob illas clades muri probabiliter valde consolidati sunt atque internus ad urbem contra impetus hostium defendendam aedificatus est, quae omnia hodie peritos rerum admiratione afficiunt. Abhinc in instrumentis et arte figulina influxus Aegyptiorum animadvertitur. Praeter rara tumultuosa tempora illa periodo incolae post munitissimos muros in fertili planitie secure ac bene vivebant, exploratores enim a Josue in urbem Jericho missi absque difficultate urbem intrant, tabernam in ingressu inveniunt (Jos. 2, 1ss.). Securi habitatores deinde facile credunt mentienti Rachab illos exiisse; haec autem per funem eos demittit, qui prope urbem in montanis refugium tuto inveniunt.

Porro in historia Jericho praecipuum factum sequitur, scilicet, subita interruptio vitae hac periodo cananaea seu expugnatio Deo adiuvante a Jome per excavationes confirmatur.

Alterum factum per effossiones clarum evenit, nempe renovatio vitae post notabilem temporis decursum et quidem periodo Israelitarum, iam cum influxu Mediterraneo. Itaque in in excavationibus Jericho observatur singularis hiatus intra binas culturas absque lento transitu per reciprocam compenetrationem. vdl. intra periodum cananaeam ex s. XIV-XIII et israeliticam ex s. IX-VIII seu hiatus 4-3 saeculorum. Quod factum iterum est magni momenti ad historicam veritatem ss. Litterarum de Jericho comprobandam, vdl. urbs cananaea Jericho, sub Josue destructa, dumtaxat circiter post post quatuor saecula, sub regibus Israel plene reaedificatur. Igitur excavationes egregie confirmant munitae urbis renovationem s. IX° Achab regnante quam Scriptura s. conservavit (3 Reg. 16, 34). Illud unicum palatium in centro israelitico effossum, forsitan domum Chielis respicit[1]

[1] Quod mortem filiorum Chielis attinet, (3 Reg. 16, 34) alii critici poenam a Deo inflictam (Jos. 6, 26) fuisse asserunt, alii autem sacrificium humanum v. g.

Fortuna romana in urbe israelitica floret usque ad captivitatem. Deinde vita in sept. orient. parte urbis, etsi minus, sed certo durat, ut ex amphoris signo nominis Dei יה[1] et יהו unitis apparet, quod traditionem de Jericho in libris Esdr. et Neh. consignatam confirmat.

Post periodum Machabaeorum munita arx evanescit neque amplius uti talis reaedificatur. Igitur praecipua, quae S. S. de Jericho narrat, vid. expugnatio miraculosa sub Josue, mentio Jerichuntis ante Josue, reaedificatio sub Chiel, praesentia Jerichunte coloniae postexilicae, per effossiones optime comprobata sunt. Immanes muri cananaei, qui subito corruerant, et diversa fragmenta archaeologica demonstrant, asserta independentium de mytho, de traditione populari miraculo ornata, de suffossione evanorum murorum a seminomadibus facta, post excavationes tuto reiicienda esse. Fructus effossionum circa antiquam urbem Jericho splendidum testimonium veracitatis Scripturae sacrae constituunt.

Selbst, Peters agnoscunt, quod ossa puerorum sub fundamentis domorum effossa insinuarent: „Wahrscheinlich haben wir es hier mit einem Bauopfer zu tun. Wie die Ausgrabungen in Kanaan zeigen, sind solche Bauopfer nicht bloss bei den Kanaanitern, sondern vereinzelt auch bei den Israeliten vorgekommen. Durch derartige Opfer glaubte man wohl die Gottheit oder den Dämon auszusöhnen, oder man erhoffte in dem Geopferten einen Schutzgeist oder einen guten Geist des Hauses, der in Zukunft alles Böse abhalten würde. In einer späteren Zeit begnügte man sich mit einem symbolischen Bauopfer." Selbst. Handbuch zur bibl. Gesch. I p. 591. „Hiel opferte sein Teuerstes, seinen ältesten und jüngsten Sohn um sich und seine Gründung vor der Rache Jahves zu sichern. Die Bevorzugung des jüngsten Sohnes, auf den die Kraft des schon alternden Vaters nach alter Auffassung in besonderer Weise übergeht, der der Gegenstand der besonderen Zärtlichkeit der Eltern zu sein pflegt, ist ebenso begreiflich, wie die bevorrechtete Stellung des Erstgeborenen in Israel allbekannt ist". Peters, Hiels Opfer seiner Söhne beim Wiederaufbau Jerichos in „Theologie und Glaube" I (1909), pp. 21-32, apud Selbst. Ibidem.

1) Praeter historicum argumentum inde sequitur etiam philologicum in nomine Dei pronunciando: ex signis amphorarum patet lectionem יהו (Jahô) loco traditionalis יהוה tunc temporis in usu fuisse.

Jericho - Fontes adhibiti:

1. Revue biblique 1902. I pp. 120-122. Les fouilles autrichiennes à Jéricho
R.B. 1908 III pp. 414-415; R.B. 1909 II pp. 270-279. H. Vincent O.P.
Les fouilles allemandes à Jéricho.
R.B. 1910. III pp. 404-417 H. Vincent O.P. Les fouilles allemandes à Jéricho.
R.B. 1910. I pp. 35-53. Raph. Savignac O.P. La conquête de Jéricho.
2. Mitteilungen der Deutschen Orient-Gesellschaft zu Berlin a) Dezember 1908 № 39. Die Vorläufige Nachrichten über die Ausgrabungen in Jericho im Frühjahr 1908, von dr. Sellin, dr Langenegger, dr Watzinger pp 1-41.
b) Dezember 1909 № 41 Vorläufige Nachrichten über die Ausgrabungen in Jericho in Frühjahr 1909, von dr Sellin, dr Noeldeke, dr Watzinger, pp. 1-36.
3. Przegląd powszechny. Lipiec 1912. Ks W. Michalski. Znaczenie odkryć na wschodzie, pp. 71-77.
4. P. Karge. Die Resultate der neueren Ausgrabungen und Forschungen in Palästina[2]. Münster i W., 1912.
5. Hummelauer S. J. Commentarius in librum Josue Paris 1903, in Jos c. 6.
6. Oettli. Das Deuteronomium und die Bucher Josua und Richter. München 1893, in Jos. c. 6.
7. Ks. Jan Korzonkiewicz. Jehošua. Kraków 1909.
8. Selbst. Handbuch zur biblischen Geschichte[7] Freiburg i. B. Herder 1910.
9. Hetzenauer. Theologia biblica. Freiburg i. B. Herder 1908.
10. Jeremias. Das Alte Testament im Lichte des alten Orients[2] Leipzig.
11. Meistermann. Nouveau guide de Terre sainte. Paris 1907
12. Baedeker. Palestine et Syrie. Paris.
13. Hagen. Lexicon bibl. II 653-658.
14. Vigouroux. Dict. bibl. III 1282-1298.

V. T. Fol. 11. Professor: A. P. Grigaitis

Solstitium.

Ios. 10, 12-14.

a) Prooemium.

Nullus fere alius textus Scripturae sacrae forsitan tantas difficultates creavit, quas finis proelii Israelitarum cum confoederatis meredionalibus regulis cananaeis, in l. Iosue enarratus. Adversarii hic loci textum s., exegetas, imo ipsam Ecclesiam aggrediuntur. Secundum eos Ios. 10, 12-14 cum realitate pugnat, nam non sol terram circumit, sed e contra terra circa solem movetur; si vero factum ad speciem tantum externam narratum sit, adeoque si terra substitisse admittatur, illa interruptio motus terrae multiplicem perturbationem efficeret. Per consequens concludunt totam narrationem esse fabulam.

Ad illius eventus rectam explanationem primo, difficultates textus s. explicandae sunt, deinde historia quaestionis atque solutio problematis proponenda est.

b) Textus Jos. 10, 12-14.

Adonisdeq, rex Jerusalem, postquam didicit Gabaonitas, post expugnationem a Josue urbium Jericho et Aï, foedus cum Israelitis iniisse, hos ab eo foedere avellendos esse ratus, una cum regibus Hebron, Jerimoth, Lachis, Eglon, exercitibus collectis, sub urbe Gabaon castra ponit. Gabaonitae nuntios Galgalam ad Jusuen mittunt, auxilium petentes. Qui a Jahve confortatus, nocturno itinere cum omnibus copiis Gabaonem petit, prima luce repente in eos irruit, magna clade afficit atque persequitur. Qui per descensum Bethchoron[1] praecipiti fuga aguntur, Jahve in eos mittit immanem grandinem, qua multo plures, quam gladio Israelitarum mortui sunt. (Jos. 10, 1-11)[2].

---

1) בֵּת חֹרוֹן domus caritatis, erat oppidum seu potius duae urbes tribus Ephraim, quarum altera superior, altera inferior dicta est. Inter utramque erat ascensus et descensus angustus et leniter acclivis. Duo vici hodierni nomen antiquum retinent: Beit ur el foka seu superior, in monte positus et circiter duo klm. versus occidentem situs est: Beit ur el tachta seu inferior. (Cf. Hagen. Lex. bibl. I, 649-650).

2) Cf. Hummelauer. Com. in l. Josue, p. 227.

Ad diem prorogandam adeoque plenam victoriam ex hostibus reportandam Iosue solem et lunam stare iubet:

v. 12. „Tum[1] Iosue locutus est ad Iahve die, qua Iahve Amorraeos filiis Israel tradidit, dicens coram Israelitis:

Sol Gabaone subsiste
Et luna in valle Aialon.

v. 13. Et sol substitit, et luna stetit,
Donec gens inimicos suos ulcisceretur.

Nonne scriptum est hoc in libro Iusti? Et sol stetit in medio coelo, et non festinavit occumbere, sicut die integro.

v. 14. Et non fuit, sicut ille dies neque antea, neque postea, ut Iahve vocem hominis exaudiret, quoniam Iahve pro Israele pugnavit."

Explicatio difficultatum et sensus obvius.

v. 12. Gabaon - גִּבְעוֹן ad collem pertinens vel in colle exstructus; erat urbs Hevaeorum Ios. 11, 19 et quidem magna, maior, quam Ai; post Iericho fuit terminus, a quo Iosue in prima sua expeditione Palaestinam meridio-

1) Secundum textum hebr.

nalem subegit. Hodie identificatur cum el-Džib, versus septentrionem a Nebi Samuil.[1]

דּוֹם Qal imperat. sing. masc. a v. דָּמַם siluit, tacuit; „Silentii autem voces apud Hebraeos saepe latius patent et de eo etiam dicuntur, qui non tantum a loquendo, sed ab agendo quoque abstinent, inde est: quievit, cessavit: ps. 4,5; Job 31,34; 30,27; Thr. 2; 18; Jer. 47,6; substitit: Jos. 10,12.13; 1 Sam. 4,19."[2] Arabice: dāma, tranquillus fuit, mansit. Omne dubium l. c. excludit contextus, vdl. in altero inciso (v. 13) correspondens עָמַד et omnes antiquae versiones. Quae quum ita sint, infauste B. Pawłowski[3] obscurationem solis concludit.

Aialon - אַיָּלוֹן urbs et vallis in confinibus Dan et Beniamin sitae erant. Quod nomen in forma Aialuna et Ialuna in litteris Amarnensibus occurrit et usquemodo conservatum est: Jalo; constituit vicum in colle 180 m. positum, 15 klm. ad occidentem a Saba-

1) Cf. Hagen. Op. cit. I, 333-335.

2) Gesenius. Thesaurus linguae hebr. et chald. I, 343, 344.

3) Jeszcze jedno historyczne zaćmienie słońca, in „Kwartalnik teologiczny" 1903, p.p. 119-135.

one; deprachenduntur ruinae castelli et muri vicum cingentis; prope versus septentrionem vallis Aialon se extendit.

Iosue, quum illa verba (v. 12) pronuntiaret, censendus est fuisse fere in descensu Bethhoron, qui circa 8 klm. directione sept. occid. a Gabaone distet, et facie ad meridiem conversus habuisse Gabaonem ab oriente et Aialonem ab occidente, vergente ad meridiem. Iosue itaque rogat, ne sol occumbat et luna oriatur, scilicet, diei prolongationem, adhibens expressiones temporis sui.

v. 13. „Nonne scriptum est hoc", quod modum citandi exhibet.
„Liber Iusti", syriaca versio habet: „liber carminum", unde auctor sacer hunc textum sumpsit, ex quo pariter elegia Davidis in Saulem et Ionatham excerpta est (2 Sam. 1,18) probabiliter constituebat collectionem carminum, quibus Hebraei heroes suos laudibus prosequebantur.

„In medio coelo" secundum Hummelauer[1] non necessario intelligendum est punctum meridianum, in supremo firmamento

---

1) Op. cit., p. 236.

positum, sed linea, quam in medio firmamento ad apparentiam decurrit sol, per eam ascendens a mane ad meridiem et descendens a meridie ad vesperam.

„Sicut die integro", Vulgata haud accurate reddidit: „spatio unius diei". Versus 13us itaque comprehendit mandatum Josue, ad plenam victoriam de Cananaeis reportandam, adimpletum, quod ex libro Justi ab hagiographo excerptum est; pariter summarium textus laudati complectitur.

v. 14. Vulgata hunc versum minus recte vertit: in textu hebraico mentio longitudinis diei deficit; in altera autem parte versus egregia indoles illius diei indicatur.

Itaque secundum textum primigenium dies ille celebratur non propter longitudinem, quam Vulgata notat („tam longa dies"), sed singularis indoles eius in eo consistit, quod Deus vocem hominis exaudivit pro Israelitis pugnando. Igitur sensus obvius pericopae breviter est sequens: Josue prolongationem diei (lucis) ad plenam victoriam de inimicis reportandam rogat. Quod hagiographus adimpletum esse dicit atque illum

diem ob preces a Deo exauditas celebrat.

c) Historia quaestionis et solutio problematis.

Singulis difficultatibus textus s. enodatis, quomodo critici decursu temporis problema explicaverint et quomodo illud solvendum sit, videamus oportet.

Tam in V. T. et apud Judaeos, quam in Ecclesia catholica ab initiis miraculum agnoscebatur. Interpretes, antiquo systemate Ptolomaei de sole vigente, miraculum litteraliter de solstitio explanabant.

Ita in V. T. Auctor l. Eccli. hoc sensu proposuit: „Fortis in bello Jesus Nave et successor Moysi in prophetiis..... Nonne in manu eius retrocessit sol (Vulgata minus recte reddidit: in iracundia eius impeditus est sol) et una dies facta est quasi duae" (46, 1.2.4-5); ergo textus s. solstitium atque prolongationem diei circiter duodecim horis comprehendit.

Apud Judaeos. Josephus Flavius sequentia habet: „Quia et illud praeterea contigit, quod dies producta fuerit, ne a nocte appetente reprimeretur Hebraeorum impetus." (Antiq. l. 5, c. 1, n. 17.)

In Ecclesia catholica. Patres item problema litteraliter interpretati sunt, scilicet, solem et lunam in cursu ad Josue mandatum stetisse et diem proelii hoc modo longiorem omnibus aliis diebus evenisse opinati sunt.

Ita v. g. s. Justinus in Dialogo cum Tryphone n. 113 dicit: „solem retinuit ille (Josue)."[1] S. Ambrosius I l. Off. c. 40 II a. p. 52[2]: „Cum adversum Gabaonitas urgeret proelium, et vereretur, ne nox impediret victoriam, magnitudine mentis et fidei clamavit: stet sol; et stetit donec victoria consummaretur."[3]

Patres et scriptores ecclesiastici, qui textus difficiles explicaverant, problema solstitii ad illam classem textuum non retulerunt; v. g. s. Augustinus in op. Quaest. in Heptateuchum l. VI illud praetermisit.

Attamen textus l. Josue c. 10, quem Patres summis tantum digitis attigerant et morales solummodo applicationes deduxerant, famosus factus est, quum die 25 Februarii 1616 a. Congregatio s. Officii in re Galilaei damnavisset propositiones: solem esse centrum mundi immobile, ut haereticam;

1) Migne 6, 736

2) Apud Reinke. Beiträge zur Erklärung des A. T. VIII, p. 223

3) Hummelauer multa eiusmodi testimonia Patrum in op. c. collegit, pp. 238-239.

alteram: terram non esse centrum mundi et moveri tam circa solem quam circa seipsam, ut erroneam in fide.[1]

Quod hanc difficultatem spectat, animadvertendum est, congregationes Romanas non esse infallibiles[2]; praeterea 25 sept. 1822 a. s. Officium decretum illud approbante Pio VII° implicite revocasse; saeculo 16° et ineunte 17° sententiam, quam s. Congregatio tueretur, inter doctos communem fuisse neque rationibus Galilaei refutari potuisse; ergo non esse mirum, quod consultores et assessores s. Officii inter motum realem et apparentem non satis distinxerint.[3]

Post decretum Congregationis in re Galilaei, deinceps quum novum systema Kopernici magis magisque stabiliretur, interpretes iam immobilitatem solis prae oculis habentes, modum prolongationis diei examinabant atque cursum terrae circa axim interruptum esse statuerunt; sed statim animadverterunt, magnam perturbationem inde in toto mundo oriri debuisse.

Quam ob rem defensores miraculi astronomici ad alias coniecturas recurrerunt:

---

1) Hummelauer. Op. c., p. 241

2) Hetzenauer. Theologia biblica. p. 145.

3) Fusius cf. Vigouroux. Les livres saints et la critique rationaliste. 2, 470 ss.

Alii defenderunt creatum esse ad tempus luminare aliquod, quod in firmamento speciem solis imitaretur, ita ut Hebraei rem secundum speciem aestimantes putaverint solem solito diutius in firmamento perseverasse. Quam opinionem praeter rabbinos quosdam Reinke[1] tuetur.

Alii ope continuorum fulgurum tenebras noctis dissipatas fuisse censebant, v.g. Michaelis, Hess etc.[2]

Alii ope miraculosae refractionis radiorum solarium, ad quam aer orientalis aptus esse dicitur, prolongationem diei explanare conati sunt, v.g. Spinosa, Grotius, ex recentissimis: Pelt[3], Selbst[4], Hetzenauer[5] et alii

Hi omnes auctores quaestionem solstitii derelinquunt, adeoque a servili interpretatione textus recedunt, sed animadvertendum est improbabilem solutionem esse per novum luminare creatum, i.e. magnum miraculum, textus s. enim aliter, simplicius explicari potest, aut per longe durantia, continua fulgura, utpote non demonstrata.

Aliam viam ingressus est Hummelauer S.J., qui textum primigenium et mentionem problematis in l. Eccli. c. 46 prae oculis habens, fuse de

1) Op. cit., p. 229 sq.
2) Korzonkiewicz. Jehošua, p. 192
3) Histoire de l'A. T. I p. 335
4) Handbuch zur biblischen Geschichte[+] 1910, p. 597
5) Op. c., p. 143.

quaestione agit: „Duplici ratione potest dies unus fieri dies duo: primum, quando diurna lux horis pluribus excedit durationem diei naturalis; secundo, quando intra limites durationis unius diei naturalis habetur bis transitus a tenebris ad lucem. Illud prius portentum Gabaone evenisse, nequaquam e textibus eruitur. Obest Ios. 10, 13 illud sicut dies completus. Dies completus habetur, quando lux diurna consueto tempore perseverat: quod tempus ubi illa excesserit, habetur dies longior die completo .... Dum „textus minime efficiunt, illum diem naturalem fuisse solito longiorem, iisdem textibus plane sufficit opinio, illum diem eo effectum esse instar dierum duorum, quod in eo fuerit bis transitus a tenebris ad lucem. Immanis illa, quae v. 11 describitur, grando comites habuerit necesse est spissas tenebras, quae omnem praecluderent ad tempus lucem. Ergo illa die primum ortus est sol mane, dein ingruentibus illis tenebris et die nequaquam de more completa festinavit abire; rursum ad vocem Iosue retulit pedem, stetit ubi ante steterat, tandem consueto plane tempore et die naturali de more completo occubuit. Hominibus illis, qui res naturales secundum externam apparientiam diiudicabant et exprimebant, bis

illo die sol et ortus est et occubuit, ille dies illis factus est duo dies .... Secundum apparentiam occubuerat sol, inruerat nox, nox utique praecox ...... Quid Josue? Norat Jahven viribus naturae ..... esse valentiorem, posse... repellere noctem, revocare diem talem, qualis momento antea fuisset .... Petiit. Petita Jahve praestitit, attenuatis tenebris, discissis nubibus: iterum comparuere sol et luna. Videbantur post discessum rediisse astra, dum revera recedebant nubes, quae astra antea obscuraverant. Nihil mutatum in lucis duratione naturali, quae abunde satis futura erat ad hostes octo circiter horarum itinere persequendos.....

Dices, his videri tolli miraculum, quod omnes sibi visi sunt Jos. 10,12 sqq. deprehendere. An non mirabile exstitit illud, ut quo momento Josue verba pronuntiaverit, eodem lux Hebraeis redierit? Quod omniscientiae argumentum est et divinae plane providentiae. Praeterea erat insigne miraculum portentosa illa grando[1] eo praecise tempore effusa, quo fugae se dabant Amorrhaei, iis ipsis locis, per quae fugientes ferebantur. Erat hoc grande miraculum,

[1] Quae in se non fuit miraculosa, sed naturalis, utique a providentia divina adducta. Cf. Hetzenauer. l. c. pp. 142-143

quo vere pugnabat Iahve pro Israele, hostes ipse grandine percutiens, non lucem solum affundens percussoribus".[1)]

Reapse in l. Eccli. 46,6 grando asseritur, ut effectus precationis Iosue.

Secundum opinionem itaque Hummelauer miraculum consistit in modo seu in eo, quod tenebrae, grando, reapparitio solis illo tempore atque ad precationem Iosue successerint.

Quum hagiographi in rebus physicis secuti sint „non intimam adspectabilium rerum constitutionem", sed „quae visibiliter apparent"[2)] seu secundum externam apparentiam loquantur, inde theoria Hummelauer principialiter recipi posset,[3)] sed in singulis

1) Op. c., pp. 237-244

2) Encycl. „Providentissimus Deus"

3) Selbst theoriam Hummelauer partim approbare videtur: „Vielleicht ist aber selbst diese Annahme (Nebensonne, Refraktion) nicht einmal notwendig, wenn mann das Gebet Josues und dessen Erhörung im Zusammenhang mit den übrigen Ereignissen des Tages betrachtet. Die Feinde wurden durch Hagel in die Flucht geschlagen und getötet. Ein so furchtbares Hagelwetter ist ohne Verfinsterung des Tageslichtes nicht denkbar. Diese kann so dicht gewesen sein, dass mann glauben konnte, die Nacht breche herein und der Sieg werde zweifelhaft bleiben. Da betet Josue, Gott möge den Tag verlängern oder nicht zu Ende gehen lassen, bis die Feinde besiegt sind. Dies geschieht, indem die Finsternis sich in einem furchtbaren Hagel gegen die Feinde entlädt und die Sonne wieder erscheint um die Verfolgung der Feinde zu ermöglichen. In der Tat wird im Buche Sirach der Hagel als eine Wirkung des Gebetes Josues bezeichnet und kann in aller Wahrheit gesagt werden, dass dieser Tag wie zwei geworden, d. h. dass die Sonne (gleichsam) zweimal aufgegangen sei (Sir. 46, 4.6). Diese Erklärung steht mit dem Wortlaut und Zusammenhang im Einklang und beeinträchtigt den Wunderbaren charakter des Vorganges, an dem die Ueberlieferung mit Recht festhält (ohne auf Erklärung des einzelnen einzugehen), in keinen Weise, während sie die häufig dagegen erhobenen Schwierigkeiten beseitigt. Das Wunderbare liegt dann allerdings mehr in der Art und Weise, wie, und in der Veranlassung, warum Finsternis, Hagel und Sonnenschein im gegebenen Augenblick und auf Josues Gebet eintreten. Aber auch derartige Vorgänge sind wahrhafte Wunder, weil nur Gottes Allmacht sie bewirken kann".

interpretandis textui vim inferre videtur; in appellatione „duo dies" (Eccli. 46. 5) unius diei, divisi per dissipatas tenebras, Hummelauer regulam de interpretandis rebus physicis nimis late applicare videtur.

Alio modo problema explanant nonnulli recentissimi critici, quorum theoriae veluti synthesim Lesêtre in commentario periodico: „Revue pratique d'apologétique"[1] proponit.

Interpretes, novo systemate immobilitatis solis stabilito, ad phaenomenon explicandum admiserunt terram stetisse aut solis radios miraculoso modo declinasse per repercussionem aut refractionem, ita ut dies saltem proelii loco prorogatus sit. Itaque illi sensum stricte litteralem de solstitio derelinquunt et significationem interpretativam, cum scientiis physicis magis convenientem, substituunt.

Quod ad procedendum ulterius et textum methaphorice explicandum innuit, scilicet, Lesêtre indoli poeticae pericopae insistit, certe cum fundamento reali, videlicet, poesis prout prosa eventus veros describit, attamen proprio modo, adeoque Lesêtre exponit aliter quam protestantes, qui meram poeticam phantasiam esse absque ulla basi reali asserunt.

[1] 1907. IV. pp. 351-356.

Indole poetica supposita Lesêtre in tres partes textum problematis dividit:

Primam constituunt vv. 10-11 prosa scripti, proelii descriptionem complectentes, nempe Hebraei subito irruunt in confoederatos regulos; hi fugam arripiunt, Israelitae persequuntur; quo tempore Jahve auxilio venit per grandinem, a qua multo plures hostes pereunt, quam a gladio Hebraeorum. Hisce descriptio pugnae absolvitur.

Immediate sequitur secunda pars, quae comprehendit citationem ex libro poetico הַיָּשָׁר, ex quo aliud fragmentum, videlicet elegia Davidis in Saulem et Jonathan secundo libro Sam. 1, 19-27 insertum est.

Particula אָז (tunc), quae versum 12um inchoat secundum Lesêtre non iungit sequentia cum praecedentibus seu non denotat solstitium grandinem secutum esse, sed ad totum eventum refertur atque significat: qua occasione, prout liber poeticus הַיָּשָׁר refert, Josue perfectam victoriam exoptans, votum expressit: sol in coelo subsiste! aut simile quid.

Illud votum memoria retentum aut a poeta excogitatum, factum est thema carminis epici, in quo luna ob parallelismum poesis hebraicae introducta est.

Porro dicitur sol et luna stetisse, donec Israelitae vindictam de hostibus sumpserint, quae tamen poetica expressio designat, dumtaxat vindictam exoptatam ante occasum solis adimpletam esse. Poetae enim orien-

tales adhibent audaces expressiones, quae ad verbum non sunt premendae, v.g. in Cantico post transitum maris Rubri eiusmodi occurrunt: aqua ut murus stetit, undae congelatae sunt in profundo maris, incolae Canaan animo ceciderunt et immobiles ut lapides evenerunt (Exod. 15, 8.15.16) aut in Cantico Debhorae: astra de coelo contra Sisaram pugnant (Jud. 5, 20); similes expressiones, methaphorice explicandae, inveniuntur in ps. 97, 8; 103, 3-4 et multis aliis locis.

Licet hic loci fons sit indicatus: „Nonne scriptum est hoc in libro Justi", citatio[1] prosequi videtur, ut ex parallelismo patet:

„Et sol stetit in medio coeli,
„Et non festinavit occumbere sicut die integro."

Praedicata parallelismi: stetit — non festinavit, sunt synonyma; quapropter non de solstitio, sed de absentia praecipitationis in occasu agitur; grando enim obscuritatem attulit; itaque Iosue violenter persequens fugientes inimicos paulisper timere potuit, ne nox ingrueret; quod tamen non accidit, nam sol non festinavit occumbere „sicut die integro", non autem „spatio unius diei" prout Vulgata false reddidit.[2]

1) Hic vitium theoriae contineri videtur, videlicet, citationem continuari, nam non solus parallelismus poesim hebr. efficit.

2) H. l. cum Hummelauer congruit

 Professor: A. P. Grigaitis

ТИП. ЛИТ. Я. РАШКОВА С.П.Б.

In tertia parte post dictum poetae ex libro Iusti laudatum, hagiographus omnia resumit: „Et non fuit, ait, sicut ille dies neque antea neque postea, ut Jahve vocem hominis exaudiret".

Quae reflexio secundam partem narrationis respicit. Auctor supponere videtur, votum Josue litteraliter exauditum esse atque descriptionem poetae veritatem exprimere; sed cum adiungat: „Jahve pro Israele pugnavit", primam partem resumit, in qua Jahve Israelitas ope grandinis positive adiuvit. Quod adiumentum a Domino praestitum insignem partem eventus constituit. Josue ad victoriam perfecte reportandam prolongationem diei exoptare potuit, Jahve vero preces exaudivit, inopinata grandine missa, quae ante solis occasum finem triumphi fecit.

Hac reflexione auctor s. momentum historicum citationi non attribuit, nam tamquam citationem solummodo affert in eo quod de sole dicit.[1]

Idem dicendum est secundum Lesêtre de textu Eccli 46, 5-8, in quo auctor sacer diserte duas partes distinguit: primo commemorat, quod poeta de sole scripserat et conclusionem quae sequi potuit; positivum

---

1) Quibus Lesêtre veritatem rei citatae fonti relinquere videtur, ipse veritate citationis contentus (Cf. Scripta. Critica litteraria, p. 45 ss.); quod tamen difficile admitti potest.

tamen documentum agnoscit dumtaxat allocutionem Josue ad Jahve directam atque asserit Jahven exaudisse et quidem non per solstitium, sed per immanem grandinem; attamen si solstitium (prolongatio diei) fuisse factum historicum putaretur, ille valde insignis eventus locum multo notabiliorem teneret non solum in l. Eccli, verum etiam apud alios hagiographos, qui magnos eventus egressus ex Aegypto libentissime in memoriam reducunt.

Quae cum ita sint, solutio quaestionis Jos. 10,12-15 non in disciplinis physicis quaerenda est, sed problema litterarium considerandum est et cum sat multis coaevis catholicis exegetis admittendum est nos prae oculis habere citationem poeticam secundum regulas poesi proprias interpretandam.

Ad quam opinionem confirmandam insuper observandum est, in operatione divina harmonicam proportionem inter finem et media adhibita adesse solere atque Deum nil incassum operari; contrarium non omnipotentiae adversari, sed cum sapientia divina pugnare.

Itaque in casu de quinque regulis castigandis agebatur; Josue bellum suscepit; Deus vero auxilium promisit. Ad victoriam de eis reportandam non erat opus magno miraculo solstitii per cursum terrae

retardatum aut prolongationis diei per deflexionem radiorum lucis supra locum proelii, nam proportio inter immanes causas et pusillos effectus deficeret; inimici enim Israelitarum non erant potentes, quinimo praecipitans grando plures occidit, ita ut novo medio opus non fuerit; grando ad finem consequendum sufficiebat, quod reapse textus adnotat

Igitur persecutio Josue et immanis grando seu media simplicia, fini correspondentia, absque concursu magni solstitii aut miraculosae prolongationis diei cladem hostibus attulerunt; praeterea prodigium innititur affirmationi poetae, quae ut simplex poetica elaboratio voti Josue merito considerari potest. Itaque illa citatio poetica non est ad litteram premenda; licet, imo convenit audacem metaphoram, quae in V. T. frequentes sunt, considerandi.

Ita Lesêtre problema solvit.

Idcirco in hac recentissima explicatione numus solis in eo dumtaxat consistebat, quod ex dissipatis nubibus post grandinem reapparuerit. Opinio Lesêtre non est statim reicienda; equidem cum traditione pugnat, sed problemata litteraria tantum nuperrime orta sunt, antiquis autem ignota erant; attamen a) totam imaginem (etiam 13 b) poetice explanare et b) solummodo citationem considerare non audemus, etenim prolongatio quaedam lucis in textu

adest, quamquam modus relate ad leges physicas certe definiri nequit.

Nobis maxime probabilis sententia eorum esse videtur, qui miraculosa repercussione radiatum solarium prorogationem diei productam fuisse tenent. Reflectoris munere aer spissus ob immanem grandinem fungi poterat. Lucis radii, medium eiusmodi in via invenientes, directionem mutant seu refractio fit¹). Ob quam causam lux solito longius ad locum proelii directa est. Igitur phaenomenon metereologicum et quidem locale, scopo correspondens, non autem prodigium astronomicum ac universale editum est; certe tamen miraculum non minus, quam in praecedentibus problematibus patratum est.

Fontes adhibiti:

1. Lesêtre. Josue et le soleil, in „Revue pratique d'apologetique". Paris 1907, IV, 351-356.
2. Korzeniewicz. Jehošua. „Słońce przeciw Gabaon nie ruszaj się". Kraków 1909 p.p. 177-205.
3. Hummelauer S.J. Commentarius in l. Josue. Paris 1903. Ad Jos. 10, 12-15.
4. Reinke. Beiträge zur Erklärung des A.T. Giessen. 1872, VIII, 217-232.

1) Promień, przechodząc w kierunku ukośnym od środka rzadszego do gęstszego nachyla się ku linii prostopadłej do powierzchni, oddzielającej oba te środki.

5. Seisbst. Handbuch zur biblischen Geschichte[7]. 1910 I, p. p. 596-598.
6. Pawłowski. Jeszcze jedno historyczne zaćmienie słońca, in „Kwartalnik teologiczny" 1903, pp. 119-
7. Hetzenauer. Theologia biblica Freiburg i. B. 19[illegible] pp. 143-145.
8. Kröll. Die Beziehungen des klassischen Altertums zu den heiligen Schriften. Bonn. 1906 pp. 158-
9. Oettli. Das Deuteronomium und die Bücher Josua und Richter. München. 1893, ad Jos. c. [illegible]
et alii.

Votum Jephte

In libro Jud.[1] 11, 1-12, 7 describitur historia Jephte viri Galaaditis, quem fratres adhuc iuvenem, ut po[illegible] filium meretricis, e domo paterna eiecerunt. Jephte domicilium fixit in regione Tob, quae probabiliter vicina Galaad erat; vagi homines ei iungebantur, quorum Jephte dux evenit. Postea quum Ammoni Hebraeos opprimerent, maiores natu Israelitarum ad Jephte profecti sunt, rogantes, ut ipse dux contra inimicos et deinde princeps Israelitarum in terra orientali habitantium esset. Jephte cum maioribus

1) Praecipuus fons: Zapletal. Das Gelübde Jephtas, in op. Alttestamentliches. Freiburg i. d. Schw. 1903, pp. 78-98.

natu Maspham (iuxta Ramoth Galaad) profectus, condicione a populo accepta, Ammonitas verbis pacificis ad mores meliores perducere volebat[1]; at hi verbis eius acquiescere noluerunt. „Factus est ergo super Jephte Spiritus Domini,” et circuivit terram se ad pugnam expediens ac votum Domino vovit dicens: „Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meae, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.” וְהָיָה לַיהוָה וְהַעֲלִיתִיהוּ עֹלָה (11,31) Et Dominus tradidit Ammonitas in manus Jephte ita ut plaga magna nimis humiliati sint. Revertenti autem Maspham, domum suam unigenita filia cum tympanis et choris occurrit. Qua visa scidit vestimenta sua et dixit: „Heu me filia mea decepisti me, et ipsa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, et aliud facere non potero” (11,35). Filia autem respondit se ad implendum votum paratam esse, hoc solum petens: „Dimitte me, ut duobus mensibus circumeam montes et plangam virginitatem meam cum sodalibus meis” (11,37.) Annuens precibus filiam duobus mensibus dimisit, quibus expletis, „persolvit super ea votum suum, quod voverat, haec autem ignorabat virum”[2]

---

1) Hetzenauer, Theologia biblica, p. 158.
2) sec. text. heb.

Votum Jephte

וַיַּעַשׂ לָהּ אֶת־נִדְרוֹ אֲשֶׁר נָדָר וְהִיא לֹא־יָדְעָה אִישׁ (11,39). Exinde mos increbuit, ut quolibet anno filiae Israel convenirent et filiam Jephte quatuor diebus plangerent (11,40)

Quid Jephte unigenitae filiae suae fecerit, solvamus oportet.

Nonnulli independentes critici narrationem de Jephte ad classem mythorum referunt.

a) Filia Jephte eis in memoriam reducit mythum Graecorum de immolatione Iphigeniae ab Agamemnone facta ad Dianam benignam reddendam et tali pacto prosperum ventum navibus iterum obtinendum.

b) Alii votum Jephte comparant cum mytho de Idomeneo, rege Cretae insulae, qui tempestate saeviente Neptuno votum vovit, se oblaturum eum, qui feliciter reverenti primus occurrerit. Ille fuit proprius filius: „Idomeneus rex Cretensium fuit; qui cum tempestate laboraret, vovit se sacrificaturum Neptuno de re, quae ei primo occurrisset, si reversus fuisset; sed casu cum ei filius primus occurrisset, quem cum, ut alii dicunt, immolasset, ut alii, immolare voluisset, ob crudelitatem regno a civibus pulsus est"[1].

c) Recentissimi critici Kuenen, Wellhausen[2], Noeldeke Gunkel[3], Moore narrationem de filia Jephte mythum

---

1) Cf. Servius ad Aeneidam 11,264, ap. Zapletal. Op. c., p. 80.
2) Die Composition des Hexateuchs[3] p. 224.
3) Comm. in Genesin p. 218.

aetiologicum*) esse opinantur. Secundum eos auctor sacer intendit rationem solemnitatis lugubris (11, 40) explicare, quae festum lugubre Adonidis seu Tammuz (Ezech. 8, 14) vel planctum Adadrimmonis in campo Megiddo (Zach. 12, 11) in memoriam reducit.

Attamen narrationem de voto Jephte argumento suo notabiliter ab illis mythis differre, clare patet.

Porro facta ex vita Jephte historicam indolem descriptionis probant: Jephte fuit dux vagorum hominum eius generis ac plures alii apud Hebraeos erant, v.g. David hoc modo vitam publicam incoepit. Jephte pugnat contra Ammonitas, qui haud libenter partem regionis suae Israelitis cesserunt, vdl. dumtaxat coacti id fecerint. Ubi natus sit, ad quam familiam pertinuerit, ubi sepultus sit, accurate non est indicatum; si vero mythus esset, illae circumstantiae enarratae essent.

Quinimo factum Jephte non est unicum quid in oriente, parallelum eventum habet ex periodo post schisma in sacrificio Mešae, regis Moabitarum. In extrema belli difficultate Meša primogenitum filium in muro regiae urbis holocaustum obtulit. 4 Reg. 3.

Votum Jephte habet analogicum in historia Arabum: Al-Mundir princeps votum fecit, die statuta anni offerendi eum, quem primo viderit. Abid (poeta) comparuit illa infausta die et fuit immolatus atque sanguine

*) in causas inquirit.

eius altare litum est[1].

Quae cum ita sint, votum Jephte non mythum sed factum historicum constituit.

Interpretes inde ab antiquis temporibus, problema per sacrificium humanum explanabant.

Testimonia Judeorum:

Targum ad Jud. 11,39 animadvertit: „Jephta summum sacerdotem Pinchas non consuluit; quod si fecisset filiam suam pecunia redemisset."

Josephus Flavius veram immolationem fuisse asserit: „Ille (Jephte) vero, cum liberam ipsi potestatem in tempus praedictum fecisset, eo elapso filiam mactatam in holocaustum obtulit, neque legitima neque Deo grata sacra faciens, quod ratiocinatione non exploravit, quid futurum erat, et quale iudicium de facinore laturi erant qui id fama acciperent."[2]

Eadem opinio in Talmude legitur. (Taanith 4a, Beresith rab. 60, Jalqut. II, 68)[3].

Testimonia Christianorum

Veram fuisse immolationem Patres Ecclesiae opinati sunt: Origenes (In Joan. t. 6,36 Migne P. G. 14, 239), Theodoretus (Quaest. 20 in Judices; M. P. G 80, 508), Gregorius Naz. (Oratio 15; M. P. G. 35, 929; Carm. 2,2; M. P. G. 38, 58), Chrysosthomus (Ad populum Antioch. Hom. 14; M. P. G. 49, 147), Ephraemus (ad Jud. 11). Epipha-

1) Encyclopedia Biblica II. London, p. 2362, ibidem, p. 81.
2) Antiqu. Jud. 5.7.10
3) Apud Lapletal. Op. c., p. 82.

nius (Haeres. 78; M. P. G. 42, 736.), Ambrosius (Apol. David c. 4; M. P. L. 14, 899; de officiis ministr. 3, 12; M. 16, 176), Hieronymus (In Jer. 7, 31; M. P. L. 24, 763), Augustinus (Quaest. in Heptat. 7. 49; M. 34, 816) et alii. Ex posterioribus mentione dignus est s. Thomas Aq.: „Quaedam sunt, quae in omnem eventum sunt bona, sicut opera virtutis; et talia bona possunt absolute cadere sub voto. Quaedam vero in omnem eventum sunt mala sicut ea, quae secundum se sunt peccata; et haec nullo modo possunt sub voto cadere. Quaedam vero sunt quidem in se considerata bona et secundum hoc possunt cadere sub voto; possunt tamen habere malum eventum, in quo non sunt observanda. Et sic accidit in voto Jephte, qui votum vovit Domino dicens: „Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus egressus fuerit de foribus domus meae mihique occurrerit revertenti in pace, eum offeram holocaustum Domino." Hoc autem poterat malum eventum habere, si occurreret ei aliquod animal non immolandum, sicut asinus vel homo, quod etiam accidit. Unde et Hieronimus dicit: „In vovendo fuit stultus, quia discretionem non habuit et in reddendo impius." Praemittitur tamen ibidem quod „factus est super eum Spiritus Domini", quia fides et devotio ipsius, ex qua motus est ad vovendum fuit a Spiritu Sancto. Propter quod ponitur in catalogo sanctorum et propter

victoriam, quam obtinuit, et quia probabile est, eum poenituisse de facto iniquo, quod tamen aliquod bonum figurabat"[1]

S. Thomas, Theodoretus, Ambrosius Jephten stultitiae accusant; alii ob nimiam festinationem, ignorantiam aut bonam fidem eum excusare conantur[2]

A fine saeculi 12[i] in problemate Jephte explanando nova theoria introducitur.

Critici ad sacrificia humana in V. T. evitanda immolationem filiae Jephte non sensu litterali proprio, sed translato interpretantur.

a) Quo fine alii auxilium in philologia hebraica quaerunt.

D. Kimchi +(1240) et nonnulli exegetae vertunt ו ante הַעֲלִיתִיהוּ (Jud 11,31) sensu disiunctivo: sive Deo erit consecratus, subintelligitur, si homo occurrerit, sive holocaustum offeretur, subintelligitur, si animal purum fuerit.

Quae tamen explicatio sensum obvium non constituit, nam votum disiunctive non vovebatur atque inter sibi subsequentes expressiones: „pertinebit Domino et offeram eum holocaustum" nulla oppositio adest, illud ad hoc, ut genus ad speciem refertur.

Dereser[3] difficultatem tollere conatus est, expli-

1) 2a 2ae q. 88 a. 2 ad 2um. 2) Apud Zapletal. Op. c. p. 82-83.
3) 1757-1827 ord. Carmelit., prof. exegesis in Breslau, satis audaces opiniones protulit.

cando suffixum III p. sing. m. הו in וְהַעֲלִיתִיהוּ cum dativo, non autem accusativo: et offeram ei, i. e. Domino holocaustum. Secundum Dereser primum incisum: „Domino pertinebit" - servum Domini significat, alterum: „offeram ei holocaustum" - victimam sacrificii comprehendit.

Quae tamen explicatio sustineri nequit, quia suffixum verbi accusativum designare solet, dum dativus eiusmodi ope לו exprimitur.

b) Porro rabbini medii aevi et catholici quidam interpretes sacrificio Jephte methaphoram inesse asserunt, v. g. Nicolaus Lyranus (+ 1340) sequentia habet: „Filia Jephte non fuit sacrificata Domino per mortem corporalem, sed potius per civilem seu spiritualem eo modo, quo religiosi dicuntur mundo mortui, in quantum a mundanis actibus sunt segregati et divinis obsequiis totaliter mancipati. Sic filia Jephte fuit sacrificata Domino per observationem virginitatis vivendo in orationibus ac ieiuniis et piis operibus"[1]

Illi critici innituntur aliis textibus Scripturae sacrae, in quibus externum sacrificium tantum internum quid denotat, v. g. Ps. 39, 7-9:

Sacrificium et oblationem noluisti,
Aures autem perfecisti mihi
. . . .
Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui,

---

1) Expositiones II Lugduni 1545, p. 47b; ibidem, p. 85.

Et legem tuam in medio cordis mei",
i.e. non sacrificium postulans, sed solummodo oboedientiam voluntati tuae.

Ps. 50, 18 sq.:
Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique;
holocaustis non delectaberis
Sacrificium Deo spiritus contribulatus
cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies."

Eccli. 35, 1 sq.
„Qui conservat legem multiplicat oblationem. Sacrificium salutare est attendere mandatis et discedere ab omni iniquitate" et multi alii textus V.T.; similia reperiuntur in N.T., v.g. Rom. 15,16; Hebr. 13,15 sq. etc.

Attamen animadvertendum est laudatos textus ex Libris poeticis esse desumptos; narrationem autem Jephte esse prosaicam absque figuris poeticis adeoque sensu litterali proprio exponendam esse. Praeterea observandum est expressioni: „et cum holocaustum offeram", quae secundum Reinke[1] methaphoram exhibet, immediate procedere: „Domino pertinebit" sensu proprio sumendam, per consequens immediate excipiens holocaustum non est methaphorice explicandum.

c) Alii interpretes sacrificium humanum reicientes, aliter votum Jephte exponunt.

Van Hoonacker voces: „cum holocaustum offeram"

1) Beiträge zur Erklärung des A. T., über das Gelübde Jephta's, p. 471-474.
2) Le voeu de Jephté. Louvain 1893, p. 39 sq.

esse metonymiam opinatur duobus potissimum textibus V.T. munitus:

a) Consecratione pueri Samuelis ministerio Domini. Anna sterilis, uxor Elcanae, votum vovit, dicens: „Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulae tuae et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillae tuae, dederisque servae tuae sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitae eius et novacula non ascendet super caput eius" 1 Sam. 1,11.

. . . . . „Et adduxit eum (Samuelem) secum, postquam ablactavit, cum vitulo trium annorum[1] ad domum Domini in Silo... Et immolaverunt vitulum et obtulerunt puerum Heli". 1 Sam. 1,24-25.

Nexus inter holocaustum et consecrationem pueri secundum van Hoonacker est evidens. Primum repraesentat et est symbolum alterius. Anna filium suum Deo offerre intendit, sed oblatio primo fit symbolicae ope victimae, quae puerum substituit.

Ad opinionem suam stabiliendam van Hoonacker alias metonymias V.T. adducit, v. g. sacrificium pro peccato brevius vocatur peccatum; pro delicto-delictum. Quo sensu Oseas propheta in sacerdotes praevaricatores insurgit „illi comedunt peccata populi" (4,8), i.e. victimas pro peccatis oblatas.

Eiusmodi metonymiam van Hoonacker in verbis

1) critica textualis

Jephte considerat.

b) Alius textus, cui professor Lovaniensis innititur, est Num. c. 8, quod ritum consecrationis levitarum describit.

Dominus praecipit Moysi: „Aaron offeret levitas sacrificio agitationis[1] coram Domino a filiis Israel." H. l. est terminus liturgicus, qui designat oblationem victimae, quam sacerdos Domino offerebat eam ante se agitando. Porro in eodem capite Num. 8, 21 legimus: „Aaron obtulit eos sacrificio agitationis coram Domino."

Vario modo exegetae hanc consecrationem levitarum explicant. Gesenius putat levitas coram tabernaculo motus ad quatuor plagas mundi fecisse; Dillmann censet Aaronem iussisse eos altare circumire. Applicatio enim agitationis cum viginti duobusmillibus hominum est impossibilis. Van Hoonacker autem tenet Num. c. 8° ritum symbolicum inesse, vdl. Aaronem offerre levitas per victimam agitationis, quae eos substituat. Analogia secundum van Hoonacker[2] cum Num. c. 8 in voto Jephte adest. In expressione: „Deo pertinebit et eum holocaustum offeram," moraliter homo in holocaustum offerebatur, sed victima ad consecrationem Deo exprimendam eum substituebat.

---

1) Cf. text. hebr.: תְּנוּפָה agitatio sacrificii versus quatuor mundi plagas.
2) Op. c. p. 43.

Quae tamen theoria problema ex omni parte non solvit atque difficultates haud removet. In primo exemplo pueri Samuelis est tantum grati animi holocaustum, nulla autem metonymia. In altero i.e. consecratione levitarum, prout recte professor Zapletal[1] animadvertit, res est saltem dubia, etenim Aaron fortassis ritu singulari agitationis absque victima eos Deo consecrabat, non singulos viginti duo millia per manus suas; sufficiebant motus, qui ritum consecrationis absque victima designabant.[2] Insuper ordo in Jud. 11,31 et Num. 8,11 est diversus: I. „Pertinebit Domino et offeram eum holocaustum." II. „Et Aaron offert levitas coram Domino sacrificio agitationis, ut serviant in ministerio ejus."

Gravissimum tamen inexplicatum remanet, scilicet, luctus Jephte (v. 35) ejusque filiae (v. 37) atque plangor filiarum Israel (v. 40).

d) Nonnulli interpretes, v.g. Kaulen illum luctum et lugubrem solemnitatem eo explicare conantur, quod filia Jephte ad speciem vitae religiosae in Silo prope arcam Domini cum officio perpetuae castitatis servandae destinata esset.

---

1) Alttestamentliches p. 91. 2) Kirchenlexicon v. Jephte.

Pater itaque lugebat, quia tali pacto posteris privabatur, quod summum dolorem Hebraeis efficiebat. Filia moerebat, nam ex serie mulierum, spe matris messiae viventium, excludebatur. Vitam in Silo incipere debebat illa, quae in montibus libera crevit, ideo cum sodalibus in montes proficiscitur, ut „filia naturae" tali modo illi vitae valedicat.

Quae tamen opinio Kaulen est magis poetica, quam realitati correspondens. Castitas enim in V. T. perfectionem, adeoque materiam voti non constituebat. In nazaraeatu refugium quaeritur. In Num. 6, 2 non est distinctio inter virum et mulierem nazaraeos. Sed nazaraeis non erat prohibitum uxorem ducendi, quod Samson, Samuel exemplo confirmant. Attamen dicunt rem ita se cum viris nazaraeis habere, non autem mulieribus (Köhler. Lehrbuch der biblischen Geschichte A. T. II Hälfte, 1 Teil, Erlangen 1884, p. 102; van Hoonacker Op. c., p. 37, Fr. Kaulen. Commentatio de rebus Jephtae ducis. Bonnae 1895, p. 7),[1] quod textibus Scripturae s. innituntur: Ex. 38, 8 et 1 Sam. 2, 22.

---

1) Apud Zapletal. Op. c., p. 93.

a) „Fecit et labrum aeneum cum basi sua de speculis mulierum, quae in ostio tabernaculi ministrabant." Ex. 38, 8.

b) „Heli autem erat senex valde et audivit omnia, quae faciebant filii sui universo Israeli et quomodo dormiebant cum mulieribus, quae ministrabant ad ostium tabernaculi."

Sed hos textus de perpetua castitate illarum mulierum nil exhibere fatemur.

Quod luctum filiae Jephte spectat (11, 37), eam non fore matrem Messiae, prout Kaulen asserit, animadvertendum est lacrimas ob hanc rationem in V. T. nullibi inveniri.

Denique ex 11, 39: „quae ignorabat virum" contra immolationem filiae Jephte nullum argumentum sequitur, textus enim simpliciter adnotat eam non nuptam sine posteritate fuisse, quod in genere omnis Israelita dolebat.

Igitur duae sunt sententiae, quid Jephte filiae suae unigenitae fecerit.

Primam, sacrificium humanum complectentem, ex numero recentiorum catholicorum interpretum defendunt: Hetzenauer, Hum-

melauer, Lagrange, Selbst, Vigouroux, Zapletal et alii.

Alteram, immolationem filiae evitantem, tenent: Reinke (1851), Cornely, van Hoonacker, Kaulen, Ubaldi, Zschokke et alii.

Problemate ex utraque parte illustrato, solutionem proponimus: Jephte sacrificium humanum vovit atque filiam suam immolavit, secus vis textui infertur.

1. Nostram opinionem[1] munimus fere unanimi consensu Patrum, quorum testimonia supra adduximus; porro solutionem comprobamus antiqua litteratura Judaeorum ex Talmude, Targumim, scriptis Josephi Flavii (cf. supra).

2. De animali improprie dicitur: „obviam egredi" (11, 31), quod ad summum cani convenit, sed canis e sacrificio, utpote animal impurum, excludebatur, neque per consequens Jephte vovens id in mente habuit. Equidem ad herum veniunt camelus, asinus, felis, sed non obviam et praecipue non in triumphali processione; ceterum haec animalia sunt pariter impura.

---

1) Cf. Mader. Die Menschenopfer der alten Hebräer und der benachbarten Völker. Freiburg in Breisgau. Herder 1909, pp. 154-156.

3. Triumphalis reditus Jephte in memoriam reducit usum, cuius mentionem facit Ex. 15, 20: „Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua, egressaeque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris", vel 1 Sam. 18, 6: „Cum reverteretur percusso Philistaeo David, egressae sunt mulieres de universis urbibus Israel cantantes." Omnino naturale erat Jephten voventem eiusmodi occursum in mente habuisse.

4. Praecipuum argumentum ad cruentum humanum sacrificium in eo consistit, quod alia logica explicatio textus est impossibilis; secus difficultates et contradictiones haud solutae remanent, sive sequimur eos, qui de ministerio prope arcam et virginitate servanda exponunt, sive methaphoram aut metonymiam interpretantur (cf. supra); expressio enim: וְהָיָה לַיהוָה Deo pertinebit, in Scriptura Sacra nunquam de immolatione animalis, sed solummodo de consecratione hominis deo adhibetur; voces vero: וְהַעֲלִיתִיהוּ עוֹלָה nullibi in Litteris sacris sensu typico vel litterali methaphorico occurrunt, sed semper proprio litterali de cruento sacrificio usurpantur. Itaque sacrificium humanum vovit et illud obtulit, nam v. 39° dicitur: „et adimplevit super ea votum suum,

quod voverat".[1] Nil esset singulare, si Jephte animal obtulisset, plura enim animalia quotidie offerebantur.

5. Quo magis interpretes sacrificium humanum evitant, eo magis ille eventus momentum suum amittit et ad quotidianam rem reducitur, ita ut proportio inter singulariter descriptam imaginem et consuetum factum deficeret; praeterea anniversaria lugubris solemnitas (11,40) risui exponitur: in memoriam enim cuiusvis mulieris non nuptae festivitas celebranda esset, cur tantum in honorem filiae Jephte id factum est?

Igitur solemnis descriptio eventus, significatio voti, singula textus clare et diserte verum sacrificium humanum filiae Jephte comprehendunt. Contraria opinio vim textui infert.

Statim difficultas oritur, quomodo sacrificium humanum cum orthodoxo cultu Domini conciliandum sit.

Si quis alius textus V. T. sacrificia humana legitima probaret, certe hoc primo ex Iud. 11,30-40 erui videtur, cuius conclusionis periculum votum Jephte sensu translato explicandi monuit.

Reapse Jephte describitur uti fidelis servus Domi-

[1] Sec. textum hebr. res est clarior, quam in Vulgata.

ni (v. 9 seq.); victoriam a Deo sperat Eique attribuit (vv. 21. 23 seq.); Dominum iudicem inter Israelitas et Ammonitas constituit (v. 27); votum quoque Domino vovit (v. 30); modo singulari a Spiritu sancto fuit inspiratus, quum votum faceret (v. 29); in V. et N. T. uti iustus ac sanctus describitur: 1 Sam. 12, 11; Eccli. 46, 13; Hebr. 11, 32 seq. Ille itaque dux populi, vir „secundum cor Dei" negligere non potuit legem, quae sacrificia humana severe prohibebat. Quare Scriptura s. actionem Jephte non reprehenderit imo sacrificium eius solemnitate anniversaria celebraverit, haec et similes obiectiones sponte sua moventur:

1) Animadvertendum est Jephten non ab omni culpa fuisse immunem, etsi ut fidelis servus Domini describatur, analogice cum Samsone, Davide, Salomone et aliis, qui in Scriptura s. κατ' ἐξοχήν (par excellence) laudantur; benignitate opus est, ut in specie applicemus, quod in genere dictum est.

2. Conditiones vitae Jephte explicant eum ignorasse sacrificia humana prohibita fuisse aut illud vetitum sub influxu ethnici modi vivendi et necessitate urgente e memoria elapsum esse; sane, Jephte fuit filius meretricis, adhuc iuvenis e domo paterna a fratribus eiectus est, ita ut vitam vagabundam duxerit et gladio vixerit. Imo neque in ignorantia

legis ad eum excusandum refugium quaerendum est, nam severa praecepta a peritis in lege Domini, v. g. Davide, Salomone laesa observamus.

3. Equidem v. 29° dicitur: „factus est super Jephte spiritus Domini", quo tamen auctor nil amplius exprimit, quam heroem fortitudine et prudentia ducis praeditum fuisse. S. Thomas hunc versum sequenti modo exponit: „Praemittitur tamen ibidem quod „factus est super eum spiritus Domini", quia fides et devotio ipsius, ex qua motus est ad vovendum, fuit a Spiritu sancto".[1] Ceterum res est dubia, ob v. 29 ad eandem redactionem pertineat, ad quam v. 30.[2]

4. Hagiographus eventum Jephte non reprachendit; inde tamen nulla difficultas sequitur, nam haud semel in V. T. auctores s. actiones vituperatione dignas, simpliciter adnotantes, absque explicita condemnatione narrant, v. g. adulterium Judae cum Thamar, nuru sua (Gen. 38) et tamen idem Judas Gen. 49,10 laudatur: „Non auferetur sceptrum de Juda.....", excursiones Samsonis ad meretrices (Jud. 15-16), qui tamen erat iudex a Deo suscitatus; immolationem primogeniti regis Mešae (4 Reg. 3,27) etc.

5. Quod solemnitatem anniversariam spectat, illa non fuit laeta, sed lugubris, prout hebraicum: לְתַנּוֹת antiquae versiones reddiderunt: plangorem

1) II^a II^ae q. 88 a. 2 ad 8
2) Lagrange. Le livre des Juges, p. 217.

de mortuis instituere; J: θρηνεῖν. Porro nulla est mentio, utrum hoc festum a sacerdotibus sit institutum, per consequens, utrum legitimum fuerit, necne, quod Scriptura s. tacet. Tum non actio Jephte uti talis celebratur, sed oboedientia et heroica fortitudo filiae. Tandem cultus Dei periodo Judicum non semper integre observabatur (cf. finem historiae Gedeonis, historiam Samsonis, idololatriam Danitarum, luxuriam Gabaitarum etc.) et tantum per miracula retinebatur; posteriori dumtaxat tempore, vdl. aevo prophetarum religio est purgata atque paucis exceptionibus irrepentibus recto tramite directa est.

6. Quod ad alios textus V. et N. T., in quibus Jephte laudatur, attinet, hi sunt tres:

a) „Et misit Dominus Jerobaal et Baraq, et Jephte, et Samuel, et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, et habitastis confidenter" 1 Sam. 12, 11.

In quo textu est sermo solummodo de victoria ex inimicis reportata, non autem de indole Jephte religiosa.

b) „Et iudices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui non aversi sunt a Domino, ut sit memoria illorum in benedictione..." Eccli. 46, 13.

Hic loci periodus iudicum in genere encomiis

celebratur, abstractione facta a singulis iudicibus in specie.

c). „Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel et prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii......"

In quo textu auctor sacer magnam fidem et iustitiam heroum V. T. laudibus prosequitur; omnes autem virtutes enumeratae iudici Jephte applicari non possunt, v. g. ille os leonis non obturavit.

Quae cum ita sint, sacrificium humanum Jephte cum cultu orthodoxo Domini nil commune exhibet, cum ethnica indole sua omnino a parte stat.

Fundamentum ac rationem huius sacrificii humani partim apud vicinos gentiles invenimus. Recenter effossa documenta sacrificia humana apud antiquos Aegyptios diserte manifestant. Origo cultus Molochi, idoli Ammonitarum, in Aegypto est quaerenda. Sacrificia humana in usu erant apud Indos, Babylonios, Arabes, Moabitas, Ammonitas,

Cananaeos, Phoenices, Graecos, Romanos.[1] Ob frequentes consuetudines Israelitarum cum vicinis ille ethnicus cultus in Palaestinam transplantari atque unum alterumve exemplum praebere potuit.

Fontes adhibiti.

1. Hetzenauer. Theologia biblica. Freiburg in B., Herder I pp. 158-161.

2. van Hoonacker. Le voeu de Jéphté. Louvain. 1893, pp. 1-73.

3. Hummelauer. S. J. Com. in l. Judicum et Ruth. Paris. Lethielleux 1888, ad Jud. c. 11.

4. Kaulen. Jephte, in Kirchen lexicon 6, 1287-1292

5. Lagrange. Le livre des Juges. Paris. Lecoffre. 1903, ad Jud. c. 11.

6. Mader. Die Menschenopfer der alten Hebräer und der benachbarten Völker. Biblische Studien. Herder. Freiburg in B. 1909; completam litteraturam exhibet pp. XV - XVIII.

7. Reinke. Beiträge zur Erklärung ~~des~~ A. T. Münster in W. 1851, I, 421-526

8. Zapletal. Das Gelübde Jephtas pp. 71-98, in op. Alttestamentliches. Freiburg in d. Schw. 1903 et alii.

1) Fusius cf. Mader. op. c. pp. 14-96; 159 sq.

Historia Samsonis.[1]

Jud. 13-16.

a) Summarium argumenti.

Historia Samsonis in tres partes apte dividi potest:

1a futurum munus Samsonis et nativitatem eius describit (Jud. 13)

2a matrimonium eius cum muliere Philistaea ex Timna enarrat (Jud. 14-16, 3)

3a amorem erga Dalilam et mortem Samsonis exponit (Jud. 16,4-31)

In prima parte (c. 13), quae historiae veluti praefationem constituit, bis angelus apparet: primo, sterili uxori viri Manoach[2] Danitae ex Sorʿa[3]; secundo, etiam eius

1) Praecipuus fons: Zapletal. Der biblische Samson. Freiburg (Schweiz) 1906, pp. 1-79.

2) מָנוֹחַ Manoach, h. l. tantum occurit, tanquam nomen proprium. Post captivitatem Babylonicam 1 Chron. 2, 54 incolae Sorʿa vocantur: הַמָּנַחְתִּי, ideo Manoach erat nomen gentilitium, proprium unius familiae, quae in Sorʿa domicilium fixerat; tali pacto Manoach est pater Samsonis analogice cum Silʿad, patre Jephte. Jud 11, 1 (13, 2)

3) Quod nomen iam in litteris Amarnensibus occurrit. Secundum Jos. 19, 41 ad tribum Dan pertinebat; secundum vero Jos. 15, 33 ad Judam, quod probat, Danitas meridionales cum tribu Juda coaluisse. Post reditum ex exilio Babylonico haec urbs a filiis Judae iterum fuit occupata (Neh. 11, 29). Sorʿa urbs sita erat versus occidentem ab Hierosolymis, haud procul a via ferrea, quae Jaffam de Hierosolymis ducit, prope biblicam Beth-Šemeš. Antiqua urbs Sorʿa aedificata erat in colle, unde statim planities aperitur, loco incursionibus Philistaeorum valde exposito. (13, 2).

marito atque annuntiat nativitatem filii, qui ex utero matris erit nazaraeus[1], quique postea Hebraeos e manu Philistaeorum liberaturus erit.

In secunda parte (c. 14-16, 3) auctor sacer initia inimicitiorum contra Philistaeos describit ob infaustum matrimonium Samsonis cum Philistaea ex Timna[2]. Convivium nuptiale[3] Samsoni occasionem praebuit proponendi aenigmatis de dulcedine, quae de forti egressa est. Sodales fraude per uxorem aenigma solvunt, quibus Samson vestes dat, triginta Philistaeis occisis.

Iratus, quod uxor eius alteri tradita esset, segetes Philistaeorum incendit et magnam cladem eis intulit atque paulo post adhuc maiorem, quum a tribu Iuda vinctus Philistaeis esset traditus, asini enim maxilla apprehensa hostes in fugam vertit.

In urbe Gaza Samson media nocte e periculo se proripuit atque portam urbis in proximum collem transtulit.

1) שֵׁכָר sicera, praeter vinum omnem alium potum fermentatum designat. S. Hieronymus sensum שֵׁכָר sequenti modo explanat: „Sicera hebraeo sermone omnis potio nuncupatur, quae inebriare potest, sive illa, quae frumento conficitur, sive pomorum succo, aut cum favi (plastri modo) decoquuntur in dulcem et barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisque frugibus, aqua pinguior colatur." (Ep. ad Nepotianum, Migne, P. L. 22, 536.) Secundum legem nazaraeorum (Num. 6, 3 ss.) omnis potus inebrians nazaraeis erat prohibitus, quod praeceptum ad matrem Samsonis est extensum. (13, 4-5)

2) Timna ad tribum Dan pertinebat (Ios. 19, 43), in confinibus tribus Iudae sita erat. (Ios. 15, 10). Hodie Tibne appellatur, 5½ klm. a Sor'a distans, versus meridiem in valle Šefela (14, 1).

3) Nuptiae in Palaestina septem dies durabant; sponsi habere solebant sodales; h. l. triginta, in Cant. Cant. sexaginta, qui solemnitatem nuptiarum in ludibus et canticis consumebant. Illis circumstantiis probe congruebant aenigmata, quae pariter apud Graecos inter convivia proferebantur (14, 10 ss.)

Tertia pars (16, 4-31) amorem Samsonis erga mulierem Dalilam ex wadi Soreq[1] oriundam describit. Dolo circumventus et una cum coma viribus privatus, Samson in manus hostium incidit, qui ei oculos effoderunt et frumentum in carcere molendum[2] coegerunt. Tandem ad festum Dagonis[3] eum ludibrio produxerunt; sed crines Samsonis una cum pristinis viribus iam renasci coeperunt. Caecus ille, Dei auxilio invocato, duas columnas, quibus aedificium innitebatur, concussit et ipse cum pluribus Philistaeis obrutus periit.

c) Historia Samsonis et mythologia.

Similitudo quaedam inter historiam Samsonis et Heracles mythum ab antiquis temporibus deprehendebatur, scilicet, hunc esse imitationem historiae Samsonis asserebatur.[4]

Dom Calmet[5] dumtaxat paulo accuratiorem comparationem inter utrumque in commentario suo Iud. c. 16 instituit: „Cum

1) Kaphar-Soreq - pagus seu vicus Soreq erat notus Eusebio et s. Hieronymo (Onomasticon, apud Lagrange. Le livre des Juges., p. 247), situs septentrionem versus ab Eleutheropoli in ditione tribus Iudae. Nomen Soreq accepit probabiliter ab electis vitibus, quae hebr. שׂרק vocantur. Vallis Soreq ~~accepit~~ fuit sive fertilis wadi Sarar, sive probabilius parva lateralis pars eiusdem septentrionem versus, ubi hodie Suriq invenitur. (16, 4)

2) Caecum Samsonem Philistaei ad opus servile condemnaverunt; quem laborem etiam caeci perficere poterant; mola enim constabat duobus rotundis superpositis lapidibus, quorum superior duobus insertis ligneis paxillis manibus vertebantur. Eiusmodi molae etiamnum in Palaestina usu veniunt.

3) דָּגוֹן Dagon (designat: pisciculus) totius confoederationis Philistaeorum deus fuit.

4) Cf. Eusebius. Chron. ed. Schoene II p. 54; Philastrius. De haereses. c. 8, Migne. P.L. 12, 1122; Sergius Syncellos. Chronogr. ed. Dindorf, I p. 309; apud Zapletal, Op. c., p. 12.

5) Doctissimus Benedictinus 1672-1757; scripsit commentarium in omnes Libros utriusque Testamenti. 23 vol. et alia opera.

Samsonis vita tot prodigiis referta sit, nihil est, quod miremur, si antiquitas profana e gestis eius gloriosa quaedam in heroum suorum decus transtulit. Gestorum Herculis pars nonnisi in Samsone veritatem historicam habent, ut merito affirmari quodammodo possit, Herculem Samsonem esse personatum. Utriusque huius viri aetas ferme congruit; uterque enim bello Trojano proximus vixit: noscitur Hercules Phoenicius, in eadem regione summo honore habitus; non procul inde Samson florebat. Mirificum Herculis robur, elisus faucibus leo, servitus sub rege Euristhaeo, quae mala perferre coactus est, ut sese ab illa expediret, Samsonem pingunt, virum mirifice robustum, qui leonem manibus suis discerpit, Philistaeorum manibus traditur, servitutem apud illos durissimam et probationem patitur." 1)

Item recentes interpretes comparationem utriusque fecerunt, attamen ad alias omnino conclusiones pervenerunt.

Extraordinaria gesta, quae de Samsone narrantur, criticis Germaniae occasionem praestiterunt ad illa conficta asserenda et mythice explicanda et quidem sive mythum originarium sive conflationem externorum elementorum myticorum vindicandum.

Inter graviores attentionem meretur theoria

1) A. Calmet. Commentarius literalis in l. Iudicum, latinis literis traditus a J. D. Mansi, Wirceburgi 1790, p. 466.

Steinthal[1], professoris Berolinensis philosophiae, qui Samsonem cum Heracle comparavit atque illum esse heroem solarem conclusit.

Secundum Steinthal aenigma Samsonis a nullo est solutum, sed nihil aliud designat, quam mellificium in Palaestina esse fecundissimum tempore, quo sol in constellatione (signo) leonis[2] versetur.

Leo, quem Samson in itinere dilaceravit, non est verus, sed mythologicus; pariter Heracles gesta incipit, leonem Nemaeum occidendo. Assyrii et Lydii, duo populi semitici, deum solis nomine Sanden, Sandon appellabant, quem sibi repraesentabant leonem occidentem; eum saepe contra leonem luctantem vel cadaver leonis pedibus calcantem in imaginibus exprimebant; in monumentis lydiis Patarae leo occurrit, tanquam animal Apollinis. Ex quibus Steinthal concludit leonem apud populos semiticos aestivi ardoris symbolum fuisse, quod innuunt flavus color leonis - color ignis, iuba, in memoriam aureos crines Apollinis reducens, tandem robur et saevitia leonis. Capilli radios ardentes exprimunt.

1) Die Sage von Simson (in der Zeitschrift für Völkerpsychologie II, 1862, pp. 129-178, apud Zapletal Op. l. p. 13 ss., apud Vigouroux. La Bible et les décour. modernes. 3, 209 ss.

2) Konstelacye gwiazd, jeden okrąg stanowiące, w których kolejno przypada wschód księżyca i słońca, nazywają się zodyakiem lub pasem zodyakalnym. Imiona wszystkich 12 konstelacyi (gromad gwiazd) są następujące: baran, byk, bliźnięta, rak, lew, panna, waga, niedźwiadek, strzelec, koziorożec, wodnik i ryby. Są to znaki zodyaku.

Ergo in hisce habemus solem in signo leonis aestivi caloris.

Porro Samson-Heracles leonem interficit, quod beneficam vim, quae terram contra ardorem aestivum tuetur, significat.

In eo, quod sol calorem aestivum efficiat, deus solis contra calorem pugnans, contra se luctatur. Quod suicidium apud plures populos deo solis attribuitur. Inde leo est symbolum partis adversariae dei solis, quem occidit, ne ipse comburatur.

Canes aurei, quos Samson in segetes cum facibus mittit, calorem solis analogice cum leone per eundem calorem atque pilosam caudam designant. Romani mense aprili ad sacra Cerealia[1] in circo vulpinalia instituebant, scilicet, ardentem facem caudae vulpis alligabant ad designandum damnum, quod ardens sol segetibus efficiebat; singularia sacrificia offerebant, erat enim tempus, quo robigo frumento imminebat, videlicet, ob nimium calorem solis diu et rorem frigidarum noctium, pronti ardens vulpes per segetes.

Samson leonem occidit, nihil in manu habens, simili modo Heracles Nemaeum leonem non sagitta interfecit, sed manibus strangulavit.

[1] ad solemnitatem in honorem Cereris

 Professor: A. P. Grigaitis

ТИП. ЛИТ. Я. РАШКОВА С. П. Б.

Samson magna clade Philistaeis illata, aufugit et in speluncam se recepit, similiter Apollo, dracone occiso, fugit; pariter, Indra occiso Vrtra in fabula Indorum.

Maxilla asini, quacum hostes profligat, mythum solis innuit, colore flavo asini analogice cum canibus aureis est symbolum solis.

Commoratio Samsonis Gazae in memoriam reducit descensum Heraclis in hadum sed, Samson portam urbis auferens, portam hadi aperit.

Amores Samsonis erga mulieres significant deum solis tamquam numen fecunditatis, prout Heracles in Lydia, Melkart in Phoenicia.

Ipse interitus Samsonis deum solis manifestat: capilli crescentes constituunt symbolum fecunditatis naturae tempore aestivo; crines tonsi evanescentem fertilitatem hieme denotant. Mors Samsonis nos in memoriam obitus Heraclis Phoenici clare reducit, uti dei solis, qui tempore hiemalis solstitii in extremo occidente moritur, ubi duae columnae [illegible] m eius peregrinationis constituentes [illegible] tae erant; simili modo Samson m[illegible] duas columnas templi, in quo [illegible]

Dagoni (pisciformi) celebratur, i. e. quum sol in signo aquarii stet, deus solis Samson moritur.

Itaque Samson est primitus deus solis, postea heros solaris, quod etiam nomen שִׁמְשׁוֹן, a שֶׁמֶשׁ derivatum, indicat, prout דָּגוֹן a דָּג piscis deducitur.

Denique secundum Steinthal haud mediocris ratio est, ut opera Samsonis adinstar Heraclis ad duodecim reducantur.

Alii critici historiam Samsonis ex mythologia Aegyptiorum esse mutuatam concludunt.

Ita v. g. Wietzke[1] in Samsone Ra, deum solis Aegyptiorum, perspicit.

Mulier ex Timna, meretrix ex urbe Gaza, Dalila ad torrentem Soreq, secundum eum designant šeol-Tafenet, i. e. tres varias imagines inferorum exprimunt.

Philistaei, quibuscum Samson pugnat, sunt filii Setis seu Typhonis[2] insigni.

Capita 14-15 relationem dei solis ad tres partes anni aegyptio-palaestinensis describunt: a) ver (aegypt. tempus serendi) c. 14, b) aestatem (aeg. triticeam messem), 15, 1-8a c) autumnum ac hiemem

1) Der Biblische Simson der aegyptische Horus Ra. Wittenberg 1888. Ibidem.
2) deus vitiorum, tenebrarum, sterilitatis.

(aeq. tempus inundationis) 15, 8b-19. Denique, c. 16um rationem agendi dei solis in Šeol complectitur: ille portam Šeol effringit, 16,1-3; a Dalila illaqueatus robur et oculos perdit, sed vires redeunt atque ex inimicis suis prout verus deus triumphum agit.

Hisce summarium opinionis Wietzke comprehenditur.

Recentissimus Völter[1] historiam Samsonis item ex Aegypto derivat; maiorem partem similitudinis deprehendit cum deo Aegyptiorum Šu, qui partim deo solis Ra coalescit.

En breviter eius theoria.

Praecipua nota Samsonis in robore consistit, idem valet de deo Šu, fortissimo inter numina, coelum supportante. Secretum roboris Samsonis longis crinibus continetur, idem dicendum est de Šu, qui est radius lucens, eiecta lux ex Ra, tum in specie: sol meridiei et in cursu anni: ardens aestivus sol in constellatione leonis cum iuba radios solis symbolice exprimente.

Samson in itinere leonem occidit, quod designat solem in cursu suo in signum leonis intrare et deum solis vincere leonem; sol

1) Aegypten und die Bibel. Leiden, 1903, p. 103 ss. Ibidem.

vero in signo leonis est deus Aegyptiorum Su, cui etiam iuba leonis adscribitur.

Mel in cadavere leonis demonstrat, apes in signo leonis examina ducere.

Gesta repetita Samsonis in regione Philistaeorum repetitum cursum solis ab oriente ad occidentem exprimunt. In occidente sol obit, quod est symbolum Samsonis ligati et oculis orbati.

Gasae Samson portam urbis aufert quod significat solem quovis mane in oriente oriri.

Privatio oculorum ad deum Su quadrat, qui unus oculus dei Ra erat, dum soror gemella Tefnut alter oculus fuit. Aegyptii privationem oculo Ra abbreviatione lucis tempore brevium dierum explicabant.

Obscurior est ratio Samsonis uti indicis et ereptio ab eo secreti roboris.

Völter in mytho dei solis Ra, qui cum Su artissime cohaeret, solutionem deprehendit:

Initio Ra Heliopoli residebat, unde quotidie in itinere suo provincias visitabat et in summa instantia ius faciebat, populo auxilio veniebat, simul remedia contra bestias, malos spiritus

etc. docebat unum duntaxat secret-

sibi conservavit, scilicet nomen, quod pater et mater in nativitate ei soli aperuerant. Ra illud in uno pectore celavit, timens, ne magus (Zauberer) eriperet et eo abuteretur. Simili modo Samson est fortis et bonus vindex populi sui; secretum roboris dei Ra in memoriam reducit aenigma Samsonis, c. 14º Philistaeis propositum.

Samsoni secretum roboris mulier eripuit, quod etiam deo Ra accidit:

Isis, quae primitus simplex mulier apud pharaonem erat, ex limo quem pituita dei perva serat, serpentem formavit, quem in arena abscondit, quo Ra in quotidiano itinere ibat. Serpens momordit Ra, qui postea curationis gratia coactus est, ut sigillum nominis mulieri Isis auferendum concederet. Isis vi nominis illius ipsa divinam virtutem adepta est. Itaque dolo simplicis mulieris Ra privatus est ultimo sigillo suo magico; idem dicendum est de Samsone a Dalila decepto.

Hoc vel simili modo alii critici historiam Samsonis ad mythologiam reducunt v. g. Reskaff. Die Simsonsage und der Heraclesmythus. Leipzig. 1860; Seinecke. Geschichte des

Volkes Israel I Göttingen 1876. pp. 253-257; Schultze. Handbuch der hebraischen Mythologie. Nordhausen 1876, p. 121; Renan. Histoire du peuple d'Israel. Paris I p. 348 ss.; Stucken. Astralmythen der Hebräer, Babylonier und Aegypter Leipzig 1896 I p. 4 ss. et alii[1]

Laudati critici historiam Samsonis mythum esse statuunt, prout recte prof. Zapletal animadvertit[2], praesertim quia gesta extraordinaria narrat, quae independentes ad speciem falsi referunt; secundo quia similitudinem cum mythis solaribus exhibet.

Quod ad primum attinet, origo historiae Samsonis prae oculis habenda est, praeterea rite illa gesta intelligenda sunt.

Historia Samsonis notas populares complectitur, merito inde interpretes tenent eam, antequam conscripta sit, a populo narratam esse et solummodo ex ore populi scriptis mandatam esse, quapropter facta quaedam herois Hebraeorum exagerata esse poterant.

---

1) cf. Zapletal. Op. c., p. 13 in nota. 2) Op. l., p. 31.

3) „Consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore-

Hist. Sams. et mythol.

Porro nonnulla gesta Samsonis limites naturae haud excedunt et modo naturali explicari possunt.

Huc ex ordine strangulatio leonis (Jud 14,6.) primo pertinet.

Numerus leonum quos reges Assyriae et Arabiae singulis venationibus interimebant, praesertim illorum pariter in Palaestina innuit, qui robore et mole leonibus Africae minores erant; imo leo, quem Samson occidit, non erat adultus. De leonibus suffocatis David coram Saule gloriatur 1 Sam. 17,34; pastoribus igitur Hebraeorum cum illis erat decertandum.

De melle in cadavere leonis invento, 14,8 sequentia animadvertenda sunt. In Palaestina ferae apes erant valde frequentes; per consequens non omnes sibi sedem aptam inveniebant; arbores et rupium fissuras implebant. Sed apes foetoris inimicas esse certum est. Attamen ille malus odor deficiebat: etenim in Palaestina calor quandoque efficit, ut animalium cadavera,

---

ab omnibus credebatur." S. Hieronymus in Mt. 14,8 (Migne P.L. 26, 98) et „Multa in Scripturis sacris dicuntur iuxta opinionem illius temporis quo gesta referuntur, et non iuxta quod rei veritas continebat." S. Hieronymus in Jerem. 28,10 (Migne P.L. 24, 855).

quin putrescant aut foetorem edant, penitus exsiccentur atque longo tempore immutata perseverent[1] vel potius ita accidisse videtur, ut canes aurei, antiquitus valde frequentes in Palaestina, carnes leonis devoraverint, calor illius regionis ossa penitus exsiccaverit ac foetorem amoverit. Analogicum exemplum Herodotus narrat l. 5 c. 114: „Onesili, Amathusii caput, quia ipsos obsederat, amputatum et Amathuntem delatum supra portas suspenderunt. Illud autem suspensum et iam vacuum effectum, examen apum ingressum favis replevit"[2]
Itaque nil mirum, si familia quaedam apium in ipso leonis cadavere sedem fixerit.

De triginta viris, quos Samson peremit eorumque vestes ablatas iis, qui aenigma solverant, dedit (14, 19), putamus rem viro extraordinario robore pollenti atque non simul omnes interficienti haud impossibilem esse.

De trecentis canibus aureis (15, 4-5), quos Samson cum facibus ardentibus in segetes Philistaeorum misit easque succendit, observandum est, canes aureos frequentes fuisse, quos Samson laqueis ceperit atque non

1) Cf. Hummelauer. Comm. in l. Iud. et Ruth. Paris 1888 p. 261
2) Apud Hummelauer. Op. l., p. 262.

simul neque una in segetes miserit.

De maxilla asini (15,15), quacum Samson mille Philistaeos percussit, sequentia adnotanda sunt. Vulgata minus recte vertit: „interfecit" vox enim hebraica ויך significat: "percussit, i.e. in fugam egit; res, ut ex circumstantiis patet, terrore magis, quam ictibus gesta sunt: Philistaei securi vociferantes occurrunt et adversarium firmiter ligatum vident; sed ecce vincula disrumpuntur, liberatae manus informe quoddam genus armorum prehendit et agitat.

Primi a Samsone feriuntur, sequentes terga vertunt atque postremos secum in fugam abripiunt. Similem victoriam habemus 1 Sam. 14,14.19, ubi solus Jonathas cum armigero adventu suo inopinato Philistaeorum copias in fugam egit[1] Numerus: „mille" est rotundus.

De porta urbis Gazae (16,3), a Samsone ablata et in proximum collem translata, prae oculis sequentia habenda sunt: Dimensio et pondus portae nobis sunt ignota; in Oriente communiter

[1] Cf. Hummelauer. Op. l. p. 274.

porta parva erat ex altera parte noti sunt homines robore extraordinario praediti. Cfr. Plinium. Hist. natur. 7, 19 de Vinnio Valente: „Vinnius Valens meruit in praetorio divi Augusti centurio, vehicula cum culeis onusta, donec exinanirentur, sustinere solitus; carpenta apprehensa una manu retinere, obnixus contra nitentibus iumentis; et alia mirifica facere, quae insculpta monumento eius spectantur. Idem M. Varro: Rusticellus, inquit, Hercules appellatus, mulum suum tollebat. Fusius Salvius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus et ducenaria duo humeris contra scalas ferebat. Nos quoque vidimus Athanatum nomine, prodigiosae ostentationis, quingenario thorace plumbeo indutum, cothurnisque quingentorum pondo calciatum per scenam ingredi."[1]

Disruptio septem funium (16, 9) ab homine extraordinario robore pollente interdum modo naturali evenire potest.

Structura domus, quam Samson tempore solemnitatis in honorem Dagonis destruxit (16, 27, 30), nobis est ignota. V. 27us duas partes comprehendit: domum et tectum seu sola-

1) Apud Zapletal. Op. l., p. 33.

rium; numerus hominum intra domum degentium non est indicatus; super solario vero erant circa tria millia. Duabus columnis (v. 30) non totum illud planum tectum sustentabatur, id enim physice impossibile est, sed probabiliter sola porticus. Nequaquam itaque necesse est supponere Samsonem morientem praeter principes aliosque, illis proxime assistentes, tria etiam millia hominum in solario interfecisse, nam de illis tribus millibus spectatorum ex v. 27° textus sacer in v. 30° silet.

In comparatione autem: „multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat" (v. 30 b), sufficit enim verbis sensum[1] tribuere, ut plures moriens occiderit, quam singulis quibusque vicibus ante interemisset.

Unum utique in vita Samsonis plane mirabile est, nempe eximium corporis robur ita cum observantia nazaraeatus fuisse connexum, ut eo substantialiter laeso, videlicet, coma rasa, evanuerit. Quod attribuendum est diserte Deo auctori, qui populum suum resipiscentem tunc temporis miro modo per iudices protegebat.

1) Cf. Hummelauer. Op. c., pp. 287-288.

Ipse quidem J. Wellhausen[1] merito agnoscit, Steinthal in uno clavo plus aequo suspendisse.

Quod ad theoriam Wietzke et Völter attinet, animadvertendum est, historiam Samsonis et aegyptios mythos inter se longe differre.

Etsi similitudo quaedam externa deprehendatur, historia tamen Samsonis tantam imaginem hebraeam exhibet, ut illa similitudo duntaxat casu fortuito intervenerit[2].

Ephod.

In manualibus archeologiae, in commentariis V. T., in encyclopaediis, in operibus de historia Hebraeorum disserentibus variae opiniones de ephode proponuntur.

Alii dicunt vestem s. sacerdotis, alii effigiem Dei fuisse.

Quaestio ephodis in historia religionum actualis, praesertim quia plures putant, codicem sacerdotalem in Pentateucho, quod

---

1) „sonst aber hat Steinthal zu vie auf einem Nagel gehängt habe" Die Komposition des Hexateuchs. Berlin 1899, p. 225.
2) Zapletal. Op. l., p. 37.

antiquitus simulacrum fuisset, in vestem s. sacerdotis mutasse.

Itaque critice examinandum est ad certa ab obscuris saltem separanda atque tali pacto rem illustrandam:[1]

a) Ephod in Pentateucho,
b) „ in aliis Libris ss.,
c) Modus consulendi Jahven ope ephodis.
d) Etymologia vocis „ephod".

a) Ephod in Pentateucho.

Cf. Exod. 28,6-30; 29,5; 39,2-20.

Praeter tunicam (מְעִיל) ex bysso hyacinthini coloris contextam summus sacerdos munere sacro fungens, portabat ephod אֵפוֹד (Vulgata: superhumerale) ex bysso, quatuor coloribus variante, et filis aureis artificiose contextum. Ephod duabus plagulis constabat, quarum anterior pectus et ventrem, posterior tergum tegebat. Haec plagulae in utroque humero per obstrigilla aurea nexae erant, quae rursus per duas pretiosas magnasque gemmas ornabantur. In his nomina duodecim tribuum, in unaquaque sena, insculpta

[1] Praecipuus fons: Das Ephod, in op. Zapletal: Alttestamentliches. Freiburg (Schweiz) 1903, pp. 55-77.

erant. Infra axillas attexta erant duo lora, in utroque latere unum, quibus corpori tamquam cingulo plagulae adstringerentur.

Porro s. sacerdos portabat ornamentum pectorale חֹשֶׁן הַמִּשְׁפָּט (Vulgata: rationale iudicii) eiusdem cum ephode texturae, quadratum et ita duplicatum, ut quasi marsupium efformaret, extrinsecus ornatum quatuor ordinibus gemmarum duodecim, quarum unicuique nomen unius tribus insculptum erat. In quatuor eius angulis totidem erant annuli quorum superioribus insertae erant catenulae aureae obstrigillis aureis in ephode iunctae, inferioribus insertus funiculus hyacinthinus pectorale cum ephode iungebat.

Denique ornamento pectorali impositum erat oraculum sacrum urim et tumim: אוּרִים וְתֻמִּים, per quod Jahve, occurrentibus rebus magni momenti a pontifice consultus voluntatem suam manifestabat.1) Itaque abstractione facta singularum difficultatum de forma ephodi, breviter concludimus illud in Pentateucho vestem sacram constituere.

1) Kortleitner. Archeologiae biblicae summarium. Oeniponte. 1906, pp. 72-73.

ТИП. ОТ. ЛИТ. Я. РАШКОВА С. П. Б.

b) Ephod in aliis Libris ss. V. T.

Plures recentes interpretes[1] censent, ephod in antiqua historia Israelitarum non vestem, sed simulacrum Dei fuisse, ita ut in P (cod. sacerd.) substantialis mutatio antiqui crassi evenerit.

Fortassis in antiqua historia Hebraeorum ephod interdum tanquam simulacrum occurrit, sed exclusionem vestis negamus, quodque probamus.

Antiqua enim periodo species ephod lineum: אֵפוֹד בַּד nota est, quae tantum vestem exhibebat. Eiusmodi fuit ephod lineum pueri Samuelis in Silo: „Samuel autem ministrabat ante Dominum, puer accinctus ephod lineo" (1 Sam. 2, 18). David simile portabat ad solemnitatem translationis arcae: „Et David saltabat totis viribus ante Dominum; porro David erat accinctus ephod lineo." (2 Sam. 6, 14). His loci ephod constituit vestem, quae in functionibus sacris portabatur; unde sequitur non vestem profanam, sed sacram fuisse. Nullibi dicitur, quali forma externa fuerit; probabiliter hoc ephod erat simplex neque ita praetiosum.

1) Lapletal. Op. c., p. 62 ss.

ut s. sacerdotis in P. descriptum, ex lineo enim confectum erat.

Minus clarum ac certum est ephod, prout vestis, in 1 Sam. 22, 18, ubi dicitur, octoginta quinque sacerdotes „vestitos ephod lineo" נֹשֵׂא אֵפוֹד בָּד, a Doeg Idumaeo occisos esse.

Difficultas movetur, נָשָׂא elevavit, sustulit, nullibi de veste portanda adhiberi. Ex altera parte magnus numerus (85) sacerdotum, ephod portantium, impedit, quominus illud explicetur idolum.

Ad probandum ephod fuisse simulacrum critici duos textus ex l. Iudicum adducunt, vdl. ephod Gedeonis et Michae, quibus cultus divinus praestabatur:

Post victoriam ex Madianitis reportatam Gedeon postulavit praetiosas inaures pondere 1700 siclos auri, seu circiter 28 klgr. „fecitque ex eo Gedeon ephod et posuit illud (וַיַּצֵּג אֹתוֹ) in civitate Ephra. Fornicatusque est omnis Israel in eo, et factum est Gedeoni et omni domui eius in ruinam". Iud. 8, 27.

Utrum re vera ephod hic loci idolum denotet, solvendum est.

S. Augustinus textum de tabernaculo adinstar

Silo loqui intellexit; innitebatur voci וַיַּצֵּג, quam Septuaginta verterunt: ἔστησεν, Vulgata: posuit; „ita fuisse solidum et validum, ut statui posset, h. e. positum stare."[1]

Procopius de Gaza h. l. ephod explicavit: κατ-τεῖον ἢ εἴδωλον.

Multi recentes critici idolum interpretati sunt, v. g. Gesenius, J. Wellhausen[2], E. Reuss[3], B. Stade[4], G. Moore[5], K. Budde[6], A van Hoonacker[7], S. R. Driver[8] et alii.

Ex altera parte Ed. König[9], Robertson[10] opinantur hic loci quoque sermonem de veste esse. Quibus accedunt: Hummelauer[11], Grunwald[12] et alii.

Illi ad ephod Gedeonis fuisse idolum probandum tres rationes adducunt.

1) magnam quantitatem auri,

2) expressionem: „et posuit illud" (וַיַּצֵּג),

3) idololatriam cum illo ephode iunctam.

1. Quod ad magnam quantitatem auri (25-28 klgr) adhibitam attinet, nonnulli interpretes cum s. Augu-

1) Quaest. in Heptateuchum. Migne P.L. 34, 806
2) Prolegomena zur Geschichte Israels. Berlin 1886, p. 247.
3) Geschichte der heiligen Schriften des A.T. Braunschweig. 1890, p. 129.
4) Geschichte des Volkes Isr. I p. 476.
5) A critical and exegetical Commentary on Judges. Edinburgh. 1895, p. 233.
6) Das Buch der Richter. Freiburg in B. 1897, p. 67.
7) Le sacerdoce lévitique dans la loi et dans l'histoire, p. 372.
8) in Hastings' A Dictionary of the Bible I, 726
9) Hauptprobleme der altisraelitischen Religions Geschichte, Leipzig 1884, p. 59.
10) Early Religion of Israel, Edinburgh 1899 p. 229.
11) Comm. in l. Judicum et Ruth, Paris 1888, p. 175
12) Die Eigennamen des A. T. Breslau 1895, p. 57
(opera citata plerumque apud Zapletal l. l. p. 61-65)

stino putant, ex illo auro factam esse non solum vestem, sed etiam alia obiecta, quae in sanctuario usurparentur. Gedeon propositam potestatem ducis accepit atque secundum consuetudinem temporis necesse erat loco residentiae perfectum sanctuarium haberet.

Quae tamen solutio sustineri nequit, textus enim est accuratus: ויעש אתו לאפוד, Fecit ex eo (h. e. auro) ephod, et nil amplius.

Explicatio conveniens inde sequi videtur, quod ephod portare solerent (cf. alios textus), per consequens illud erat non nimis magnum. Ideo numerus 1700 forsitan est corruptus. Reapse numeri in V. T. haud accurate conservati sunt. Fortassis in textu authentico, Zapletal animadvertit, fuit 700 sqr., scriba vero, qui ad tantam rem numerum esse nimis parvum existimabat, mille addere potuit. Quum defectus numerorum conservatorum omnes agnoscant, itaque in hac coniectura nulla est tendentia (Zapletal). Corruptum numerum innuit pondus auri, ephod enim portabatur, igitur 25-21 klgr. auri cum aliis partibus constitutivis esset nimis ponderosum.

2. De ויצג posuit, observandum est in eadem historia: Iud. 6, 37. מציג, de extensione lanae a

Gedeone facta adhibetur; ergo ille textus philologice quoque vestem in ephode non excludit.

3. Ex idololatria cum ephode Gedeonis connexa gravis ratio ad simulacrum asserendum deficit, nam non solum statuae, sed etiam plures aliae res ab Hebraeis et vicinis gentibus colebantur.

Quae quum ita sint, in ephode Gedeonis de magis solido obiecto, quam vestis agitur. Illud speciem thecae (marsupii) vel urnae, quo Urim et Tummim ponebantur, constituebat.

Multo minores rationes adsunt ad ephod Michae in l. Iudicum descriptum, tanquam statuam vel idolum interpretandum.

Textus rem spectans est sequens: „Vir Micheas domum Dei habebat et fecit ephod ac teraphim et implevit manum unius filiorum suorum (h.e. sacerdotium confidit), qui factus est ei sacerdos" (17,5)[1]. Quum Danitae, ad septentrionem transeuntes, in monte Ephraim stetissent, quinque exploratores, qui prius missi erant, ceteris patribus suis dixerunt: nostis, quod in domibus istis sit ephod et teraphim ..... Danitae illa obiecta sacra auferunt; sacerdos Micheae, levita de Bethlehem Iudae, cum eis proficisci, rebus sacris

1) Secundum textum hebr.

sumptis, acquiescit. (18, 13-20). Prout hic loci, ita etiam Os. 3, 4 ephod iuxta teraphim ponitur. Atqui teraphim certo simulacrum erat. Inde plures ephod Michae de statua interpretantur.

Attamen in tota narratione iuxta ephod legimus: idolum פֶּסֶל; hoc primum obiectum cultus constituit, quod alia sequuntur, vdl. ephod et teraphim ad perfectum sanctuarium efficiendum. Ita mater Michae tulit ducentos siclos argenti et dedit eos argentario ut faceret ex eis: פֶּסֶל (17, 4). Quod idolum, statuam dei complectens, deinde in sequentibus versibus semper iuxta ephod commemoratur, unde recta conclusio sequitur duo obiecta diversa fuisse; iuxta positio vero: teraphim eo explicatur, quod ambo in divinatione adhiberentur. Cf. 1 Sam. 15, 23; Ezech. 21, 26 (Hebr.); Zach. 10, 2.

Quae cum ita sint, nihil nos cogit ephod Michae aliud, quam thecam oraculi interpretandi.

Quod ex aliis textibus pariter eruitur: v. g. 1 Sam. 2, 28: vir Dei alloquitur Heli, Dominum elegisse eius familiam ad sacerdotium obeundum, ut ad altare ascenderet, incensum adoleret et ephod coram eo portaret לָשֵׂאת אֵפוֹד. Illud ephod certe non est idolum; ex altera parte verbum נָשָׂא de vestibus portandis non usurpatur. Itaque erat

non ordinaria vestis, quapropter aliter portabatur. Ephod utique oraculum edebat, ideo comprehendi non potest, quomodo perficeret, si simulacrum Dei esset.

1 Sam. 23,6: Sacerdos Abiathar fugit Saulem post necem octoginta quinque sacerdotum ad Davidem Ceilam, „ephod in manu sua habens". אֵפוֹד...בְּיָדוֹ; per illud ephod Dominum consulebat (1 Sam. 23,9). Nulla difficultas h. l. offertur ad ephod tanquam vestem singularem explicandum; illud in manu portabat, nam praetiosum ephod indutum fugam impediret.

Ex 1 Sam. 21,9 perspicitur, ephod absque usu loco tuto conservatum esse. Ita David Saulem fugiens ad Achimelech sacerdotem in Nobe venit atque arma postulavit; sacerdos respondit: „Ecce gladius Goliath Philistaei ..... est involutus pallio post ephod." Quod uti theca oraculi bene explicari potest.

c) Modus consulendi Dominum ope ephodis

Mediantibus Urim et Tummim quaestiones movebantur. Quum illa non sint descripta, variae opiniones propositae sunt.

Rosenmüller[1] opinatur totam illam rem a Moyse ad exemplum Aegyptiorum institutam esse.

Ancessi[2] existimabat, Urim significare lucem et Tummim tenebras; responsum datum esse per illustrationem gemmarum, quae in pectorali essent. Hanc opinionem antiquitus Iosephus Flavius (Antiq. 3,8,9) defendit, nuper van Hoonacker probabilem adnotat (Op. c., p. 380)

Alii censent Urim et Tummim sortes fuisse. Ita Ewald[3] ea lapides diverso colore esse tenet, quos s. sacerdos in consulendo e pectorali produceret, ope enim sortium Arabes, Assyrios, Babylonios numina consuluisse. Quomodo Arabes consultationem persolverint, Wellhausen[4] describit, qui similem modum apud Israelitas asserit: cum idolis antiquorum Arabum oracula iuncta erant. Post destructionem simulacri oraculum cessabat. Consulentes ponebant interrogationes: utrum faciam haec, necne? hoc vel illud perficiam? Responsa indole practica sequebantur, vdl. quid faciendum sit, respiciebant; ideo directio ad agendum fiebat, mysterio haud sublato. Cui scopo inserviebant sortes ope sagittarum (sine acumine); primitus forsitan parvi rami

1) 1768-1835. Eius opinionem cf. Zapletal. op. c., p. 71.
2) 1844-1878. Cf. Ibidem
3) 1803-1875 Cf. Ibidem
4) Reste arabischen Heidentums. Berlin 1897 p. 131s. Ibidem

ad divinationem adhibebantur, prout vox arabica indicat, analogice cum Graecorum βελομαντία et ῥαβδομαντία. Responsio brevis esse solebat: ita - non, ope imperantis vel vetantis sagittae. Consultatio praecipue in usu erat ante bellum.

De oraculis sortium apud Babylonios discimus ex Ezech. 21, 26s. (hebr.): „Rex enim Babylonis stat in bivio, in capite duarum viarum ad oraculum consulendum; sagittas commiscet, teraphim interrogat, iecur intuetur. In dextera eius est sors Ierusalem". ad quem textum s. Hieronymus[1] recte observat: „Ritu gentis suae oraculum consulit, ut mittat sagittas suas in pharetram et commisceat eas inscriptas sive signatas nominibus singulorum, ut videat, cuius sagitta exeat et quam prius civitatem debeat oppugnare".

Apud Israelitas interrogationes componebantur et responsum sequebatur: ita - non, prout ex 1 Sam. 23, 11ss. patet: David iratum Saulem fugiens consuluit: „si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel, indica servo tuo. Et ait Dominus: Descendet. Dixitque David: si tradent me viri Ceilae et viros, qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent".

1) Comm. in Ezech. 7, 21; Migne P.L. 25, 206.

Res clarius adhuc constat ex 1 Sam. 14, 37ss.: „Et consuluit Saul Dominum: Num persequar Philistiim? Si trades eos in manus Israel? Et non respondit ei in die illa". Unde Saul conclusit Dominum esse iratum; ad causam irae divinae cognoscendam populum in una parte statuit, ipse cum filio Ionatha in altera stetit. Tum Saul Deum consuluit: „Domine Deus Israel, da indicium: quid est, quod non responderis servo tuo hodie? Si in me aut in Ionatha filio meo, est iniquitas haec, da ostensionem (hebr.: Urim); aut si haec iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem (hebr. Tummim). Et deprehensus est Ionathas et Saul; populus autem exivit. Et ait Saul: mittite sortem inter me et inter Ionatham filium meum. Et captus est Ionathas."

In hoc textu responsum sequitur: ita-non; prout in arabica aut babylonica consultatione. Quum autem apud Hebraeos interdum nullum responsum daretur, ideo Urim et Tummim non duae solum sortes vel gemmae fuerunt; secus responsum semper sequeretur.

Ex 1 Sam. 14, 19: „contrahe manum tuam" sacerdos in consultatione manum movisse videtur.

Van Hoonacker[1] opinionem proponit, Urim et Tummim obiectum cum duplici facie fuisse; quod sacerdos movebat, inde apparebat una vel altera vel nulla praesto erat, per consequens nullum responsum edebatur.

Ex dictis concludimus laudatos textus indicare solummodo consultationem ope Urim et Tummim fuisse, licet modus accurate non sit definitus.

Res de ephode magis clara eveniret, si notum esset, quid Urim et Tummim constituerint, quae tamen mysteriorum plena sunt.

In genere consultatio fuit satis materialis.

Etymologia vocis „ephod".

Ex sententiis eruditorum, quas de voce אֵפוֹד hucusque protulerunt, nil certi sequitur, etymon vocis haud solutum remanet.

Lagarde[2] derivat ab arabico verbo: nafada, venit tanquam nuntius ad regem vel aliam gravem personam; per consequens ephod vestimentum

1) Op. c., p. 380.


2) Uebersicht über die im Aramäischen, Arabischen und Hebräischen übliche Bildung der Nomina. Göttingen 1884, p. 178. Ibidem.

pro accesu ad Deum destinatum significat; cfr. syriace: longa vestis.

Grunwald[1] in voce אֵפוֹד, prostheticum א considerat atque nomen deducit a פ׳ד = פדה = פוד extrahere, exuere vestibus; unde ephod significationem vestis exhiberet.

Alii sensum vocis quaerunt in radice אָפַד vestivit, induit, quodque pluribus testibus V. T., ephod respicientibus, quibus hoc verbum inest, comprobant.

Ex hisce concludimus, quum in radice significatio „vestis" adsit, inde pariter opinionem de ephode-idolo sustineri non posse.



1) Die Eigennamen des Alten Testamentes p. 57. Ibidem

Index rerum

A. M. D. G.

г 4./46

Professor: A. P. Grigaitis